

Sanctorum & animarum, & per Octavas dictarum Festivitatum octavas habentium, singulis diebus Dominicis & festis causa devotionis ac peregrinationis accesserint, seu qui Missis, Matutinis, Vesperis, aut aliis quibuscumque devotis officiis ibidem interfuerint, nec non qui ad fabricam predicatorum Altarium, luminaria, ornamenti, aut quævis alia manus adjutrices porrexerint, vel qui in eorundem testamentis, aut extra, aurum, argentum, vestimentum aut aliquid aliud subsidium dictis altaribus donaverint, legaverint, aut procuraverint, quotiescumque, quodcumque aut ubicumque praemissa, aut aliquid praemissorum devote fecerint, de Omnipotentis Dei misericordia beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus Autoritate confisi singuli Vestrum quadraginta dies criminalium & annum venjalium Indulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus perpetuo valituras. Et in praemissorum omnium & singulorum evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus litteris duximus appendendum. Datum & actum, Anno & die praenotatis.

Ex hoc consecrationis testimonio iterum constat, quam familiaris, quam frequens Progenitoribus nostris & Canonicis Wengensibus erga sacra Amantissimi Salvatoris nostri quinque vulnera fuerit devotio.

Conradum Anno 1381. adhuc in vita fuisse superstitem certo constat, cum hoc ipso anno quædam prædiola nostra in Laupheim locaverit pro vitalitiis Conrado Suberhard de Laupheim ulteroire illius acta nos prorsus latent ob dispersionem Fratrum suorum Monasterio carentium. Atque cum hoc Præposito in Insulis ultimo finitur etiam prima Periodus nostræ historiæ, quapropter transitum facio ad Periodum secundam, quæ varias denuo fatorum vicissitudines oculis legentium subiicit.



## P A R S II.

Sive

### PERIODUS SECUNDA.

#### Historia exemptæ Canoniæ Wengensis, translatæ in urbem.

### C A P U T I.

De Petro Neger Præposito Primo intra civitatem.

#### §. I.

Petrus præficitur Wengensibus Canonicis.

**D**elati tandem sumus ad Periodum secundam nostri exempti Collegii, cuius valde turbulenta fuere initia: Vix non exclamare cum Poeta licet: *Hæc facies Trojæ, dum caperetur, erat. Muri habitationis nostræ erant destructi, lapides Sanctuarii dispersi totum fere ædificium solo æquatum, fundimontis S. Michaelis authoritate Magistratus oppidanis pro modico pretio locati, Præpositus Conradus desolatus, a suis Confratribus pene omnibus desertus, qui per Sueviam ac vicinas regiones dispersi vietum & vestitum apud Patronos quærentes a mendicatu haud longe distabant. Admissi quidem sumus in civitatem, sic Monasterio hostilem in modum destructo, ac per annos satis multos, domum quædam, quæ attinebat ad nos (Des Hurters Haus dictam) incolauimus. Verum cum illa omnibus non sufficerent, paucos duntaxat Confratres spoliatus Praeful alere potuit, reliquis, ut jam dictum, alibi sustentationis gratiam quærentibus. Cum paucis itaque filiis suis divina celebrare coactus est in Capella S. Jacobi in foro civitatis extorta quæ tunc Monasterio nostro incorporata fuerant. Hæc ex traditione ad-*

*Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,*

O O O O

NON

notavit Historiographus noster, dum ita narrat: *Post destructionem Monasterii Praepositus commoratus est cum qui usdam Fratribus conventionalibus in domo sua, quae tunc Monasterio attinebat, nunc vero Des Hurlers Haus bey der Blau nominata, divina persolvit in foro civitatis in Ecclesia S. Jacobi, quae tunc Monasterio incorporata fuerat. Accum huic miseriae affunderat per petua Monachorum Augiensium cum Magistratu Ulmensi discordia. Hi, ut civium Ulmensium animos emollierent, nobis afflictis nec minimum attulere solatum, nec in gurgite vasto natantibus manum auxiliarem praetulere. Sed nec praebere jam poterant, qui illo tempore a priori sua potentia jam dejecti cum maxima paupertate colluctabantur. Verum justus, qui miseros mortales ob peccata punire & affligere solet, Deus post actam pœnitentiam iterum solatur, ac prostratos erigit.*

Succubuit tandem sub onere tot miseriarum Conradus Praepositus, ac viam omnis carnis iniit, supremisque fatis concessit anno nobis quidem ignoto; probabile tamen est mortem illius incidisse circiter in annum 1384. Post mortem Antistitis sui, Canonici nostri convocatis omnibus, qui ad novi Capitis electionem vel adesse deberent, vel intra debitum temporis spatum possent ac vellent, solemnitatibus consuetis ad ipsum Electionis actum quidem processerunt; concordari tamen minime poterant, adeo quidem, ut re infecta dissolutus fuerit eligentium cœtus. Hoc ipso anno 1384. præfuit Augiensi Monasterio Mangoldus de Brandis, de quo narrat Bruschius quod contenderit olim cum Senatu populoque Constantiensi, cumque ejus urbis aliqui Piscatores temerario ausu Abbatem contemnentes in aquis ejus pescarentur, quinque ex eis cœperit, & proprio digito suo excœatos in urbem remiserit. Atque hanc occasionem fuisse, cui Constantienses factum hujus Abbatis indigne ferentes schopulam arcem & alia quædam Monasterii domicilia exussent & incendio devastarint. Ad hunc Mangoldum cum delatum fuisse ab Ulmensi Magistratu, non convenisse Canonicos Wengenses in electione, absque mora per Wernerherum Monasterii Augie Decanum negotio huic se immiscauit, ac litem terminavit, ad mentem Magistratus, qui præ cœteris Mangoldo Petrum Neger ad Praeposituræ dignitatem commendavit, quam etiam per modum provisionis obtinuit. Tota hujus rei series ex sequenti documento robur suum accipit, sit tamen genuinum illud ac authenticum sit, quod valde suspectum mihi reddunt plurima præsertim Ordinationes contra omnia jura & omnem juris ordinem, umma que indiscretione eidem adjecta, et si additum quoque sit: *Præscriptos itaque articulos a Praeposito præfato ejusque Confratribus articulus observari volumus, nec intendimus derogare iuribus, immunitatibus, & laudabilibus consuetudinibus Monasterii Augie majoris, nec Monasterio in Insulis præscripto. Videamus autem hujus documenti monstrum, ut & posteris pateat, quam grave fuerit Collegii nostri jugum ab Augiensibus nobis impositum.*

### §. II.

#### Confirmatio Petri & a Wernerero Augiensi Decano præscripti Articuli.

**N**ihil hoc documento ineptius, nihil hisce articulis absurdius excogitare posset. Elapso primum Saeculo in hujus centonis devenimus notitiam occasione gravissimi cuiusdam Processus contra Collegium Wengense instituti, fuisse dicitur illius Author Monachus Augie divitis Decanus, ex illustri Liberorum Baronum de Roseneck, postmodum e vivis abeunte Mangoldo, in Abbatem Augie electus; fингiturque hic Decanus confirmationem hanc, & adjectos eidem articulos ex commissione Mangoldi Abbatis sui concepisse Anno 1384. in Vigilia S. Andreæ Apostoli, certum autem ac evidens est ex Epitaphio præfati Mangoldi, quod jam obierit hoc ipso anno vigesima quinta Octobris, quod apud Bruschium ita sonat: *Anno Domini 1384. Octavo KL Novembbris obiit Mangoldus de Brandis Abbas Monasterii Augie majoris, Episcopus electus Constantiensis.* Hoc solo arguento satis utique in lucem ponitur scripti hujus falsitas. Videatur Buschii Chronologia V. Augia dives. Item Manlii Chronicon Constantiense. In Mangoldo de Brandis. Vide tamen, & lege latissimi figmenti formulam:

Nos

Nos Wernherus *Per missione Divina* Decanus Monasterii Augiæ majoris, immediate Sedis Apostolicæ pertinentis, Ordinis S. Benedicti Constantiensis Diæcessis, ad universorum notitiam scripto deducimus, quod cum Monasterium in Insulis prope Ulmam, Canonicorum Regularium per Præpositum solitum gubernari, Abbatii Monasterii Augiæ majoris, qui pro tempore fuerit, & ex nunc nobis sede vacante, & dicto nostro Monasterio, ut & tanquam eorum vero ordinario & superiori, ab antiquo ita, quod ejus contrarium nemo recordatur, imo verius a tempore dotatlonis ejusdem Monasterii pertinuit, & de facto pleno jure pertinere dignoscatur, eisdem quoque Canonicis Regularibus, si in Electione Præpositi ipsi, vel major, aut eorum pars senior concordarint, Electum Præpositum habeamus de jure confirmare. Si autem in electione Præpositi scissiæ fuerint & discordiæ, ipsis juxta Consilium & voluntatem *Advocati* dicti Monasterii Præpositum præficeremus. Cum vero nuper, ut credimus, inimico generis humani inter prætactos Confratres Monasterii in Insulis zizaniam seminante iidem Canonici Regulares in Electione Præpositi concordare nequirent; Nos *Sede vacante*, & ex Commissione Domini Mangoldi electi Abbatis Monasterii Augiæ majoris, ipsis juxta constitutionem quondam Dotatoris ejusdem Monasterii in Insulis, & mentem Consulium in Ulma pro Advocato ipsis Monasterii in Insulis se gerentium, secundum consilia juris peritorum, Dominum Petrum dictum Nayer, pridem dicti Monasterii in Insulis confratrem, Christi nomine invocato, soloque Deo præ oculis habito, in Dei nomine in præpositum Monasterii in Insulis confirmavimus & præfecimus, & nos denuntiamus scripto præsenti confirmasse ac præfecisse, adhibitis in præmissis solemnitatibus solitis, debitis, & consuetis, mandantes Confratribus ejusdem Monasterii, præsentibus & futuris in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pena excommunicationis, quatenus ipsis in omnibus licitis, & honestis, & eorum regulam concernentibus, dicto Domino Petro, ut & tanquam eorum vero perpetuo Præposito jugiter obtemperent, intendant & obediant, ac mandata ejus inviolabiliter observent, cumque tractent, teneant, nominent & reputent eorum verum & legitimum Præpositum, & animarum suarum Pastorem.

Sane, quia multarum fide dignorum rumor sedulus aures nostras propulsavit, quod in retractis temporibus pridem Præpositi Monasterii in Wengen, alias in Insulis, & confratres eorundem, a longo tempore, quod dolentes referimus, ut dicitur, Dei timore hominumque rubore post tergatis, juxta dictamen regulæ suæ vivere recusarunt, & cultum Divinum, ut tenebantur, quasi omnino perficere neglexerunt, vel saltem tepide & minus debite perfecerunt, in propriæ salutis Eorum dispendium, & scandalum plurimorum.

Nos, ne sanguis eorum de manibus nostris requiratur, ex officii nostri debito, ut tenemur, cupientes ipsorum vitam ordinare actus informare, excessus corrigere & mores componere, Dominum Nayer Præpositum præfatum, ac omnes suos confratres, præfentes & futuros subscriptis adstrinximus articulis, ut, si, quod absit, ipsis timor Dei a malo non revocaret, saltem ipsis coercent medicinalis disciplina, quam ob id solerti cura excogitavimus, quam præsentibus ex certa nostra scientia inscribi mandavimus:

1. Primo videlicet, quod prænominatus Præpositus per se ipsum, nisi infirmitate corporali detineatur, aut sui Monasterii causa contrarium exposcat, una cum suis Confratribus, prout tenetur, divinum cultum rite statutis ad hoc ab Ecclesia certis temporibus, dictari faciat, disponat & ordinet celebrari juxta nostri & Consulium in Ulma pro advocate dicti Monasterii se gerentium informationem & voluntatem, dolo in his amotis penitus & fraude.

2. Item, quod dictus Præpositus cum bonis & rebus quibuscumque dicti Monasterii in Insulis, quoque nomine censeantur, mobilibus & immobilibus, nihil aliud faciat nec attentare præsumat, nisi quod licitum, congruum est, & honestum, & quod fidelem Præpositum & Dispensatorem cum hujusmodi disponere decet & congruit, & quod in his consilia Consulium in Ulma expetat & requirat, eo dempto, quod iidem Consules ipsum Monasterium in bonis & rebus suis ultra debitum aut expediens non gravent aut damnificant modo quovis.

3. Item, si quod absit, dictus Præpositus vitam inordinatam assumeret, exinde, si causa temporalis fuerit, in qua sic graviter exceperit, habeant dicti Consules in Ulma a nobis in commissis, eundem Præpositum super hoc admonere & hortari, quod ab hujusmodi excessibus, qui ipsis statui non congruant, resipiscat, quod si facere noluerit, poterunt dicti Consules proventus & redditus ipsius Monasterii tamdiu arrestare, quoque dictus Præpositus vitam suam in me-

ius commutet, illudque faciat, quod ante facere recusabat. Sane si hujusmodi excessus adeo gravis esset, aut horribilis, quod propter ipsum dictus Praepositus suis & emeritis exigentibus ipsa Praepositura privari, & ab ea merito repellri deberet & destitui; si causa vel excessus temporalis fuerit, ex nostra Commissione habeant dicti Consules potestatem, nostris tamen cum consiliis, eundem Praepositum destituere, & hujusmodi Praepositura privare.

Sin autem causa spiritualis fuerit, debebunt dicti Consules talem aut tales excessus Abbatii Monasterii nostri in Augia pro tempore existenti vel Nobis denunciare, & exinde debebimus juxta Ipsorum Consulum voluntatem ipsum Praepositum ab ipsa sua Praepositura destituere, deponere penitus & amovere.

4. Item prefatus Praepositus, presentes, ac suam confirmationem aliis in literis a nobis obtentam, dilatione postposita, tradere & assignare debet, ad cautelam potestati & clausuræ dictorum Consulium, & si ipse, suis demeritis exigentibus, ab ipsa Praepositura, ut præmittitur, destitueretur. post hujusmodi destitutionem per Juramentum ab eo de & super his & aliis præscriptis & subscriptis de sancta Dei Evangelia solemniter præstitum non debet repetere dictam Praeposituram per se, nec per alium vel alios, publice vel occulte, aut quovis quasi colore; Quod si hoc, quod absit, transgrederetur, in omni foro, tam Ecclesiastico quam civili causam hujusmodi de jure perdere debet.

5. Item dictus Praepositus obligetur computum & rationem facere de omnibus redditibus & Proventibus Monasterii sèpe dicti totiens quotiens visum fuerit Consilibus ante dictis..

6. Item statuimus, quod, quando ex nunc in antea Confratres dicti Monasterii juxatenorem privilegiorum suorum eligere voluerint Praepositum, quod ex tunc assumere debebunt literatos viros, qui placuerint, & Magistrum civium in Ulma, qui pro tempore fuerit, cum aliquot viris providis de Consilio Ullmensi, qui hujusmodi intersint electioni, in eventum, ut si, quod absit, aliquis dictorum fratrum timore Dei postposito eligere vellet personam inhabilem, quod talis timeat assidentes, & habilem eligat & idoneum ad præficiendum.

7. Item volumus, quod si in futurum dicti Confratres, quod absit, inter se graviter discordarint, quod ad Abbatem Augiae majoris, qui pro tempore fuerit, aut ad nos hujusmodi discordia deferatur decidenda, nisi in causa temporali fuerit, tunc enim habeant dicti consules hujusmodi causam terminare.

Nolumus tamen dictis Confratribus ab aliquo manus violentas imponi, sed si quis eorum enormiter excesserit, nobis præsentetur puniendus.

8. Item volumus, quod denuntietur dictis Confratribus, quod si quis eorum enormiter excesserit, quod propterea puniri debeat tam in rebus quam in corpore, maxime carcere, semper tamen juxta Domini Abbatis prædicti aut nostrum decretum.

9. Etiam volumus, quod si quis fratrum prædicatorum suam præbendam, ut tenetur, ex protervia mereri noluerit, quod eadem præbenda detur ei, vel eis, qui eam mereantur.

10. Statuimus etiam, quod ex nunc in antea sapientius Praepositus & ejus confratres, nulli præbendam Monasterii sui conferat, nisi voluntate & Consensu sèpius dictorum Consulium accidente. Præscriptos itaque articulos a Praeposito præfato ejusque Confratribus arctius observari volumus, in nullo tamen per ipsos volumus, nec intendimus derogare juribus, immunitatibus, & laudabilibus consuetutinibus Monasterii Augiae majoris, nec Monasterio in Insulis præscripto. In quorum omnium & singulorum præmissorum evidens testimonium præsentes ex certa scientia fecimus communiri. Datum in Monasterio nostro prædicto, anno Domini MCCCLXXXIV. Vigilia S. Andreae Apostoli.

Hic ineptissimarum litterarum tenor est, Quæres merito, an saltem Mancoldi Augiae majoris subscriptæ sint nomine? an illius sigillo munitæ? at qui subscribi, qui muniri poterant a jam mortuo? an licuisset soli Decano contra Jus commune similes ferre leges, & personas regulares sacerdotali Magistratui subdere? an res ista inter alienos acta vim habere debuisse, vel potuisse apud Antecessores nostros? An tuta conscientia simili iniquitatis vinculo se se potuissent ad obedientiam obstringere? meliora certe de illius temporis prudentissimo Magistratu præsumenda sunt, nec ulla tenus credendum, quod hujusmodi præstigiis aurem præbuerint, aut hujus simile jugum Personis Ecclesiasticis unquam voluissent impone-re multo minus exoticas hasce ordinationes tentassent exequi, sed mediis longealii, & a Jure præscriptis conati fuissent. Etiam per recursum ad Pontificem

tem devios in viam justitiae & bonitatis reducere, quod posteriorum quoque temporum exempla satis demonstrant.

De cætero si demus etiam, quod tamen non damus, sinceras esse Wernerii Decani has tabulas, ne movearis, bone Lector, ex verbis initio positis: *Ex mente Consulium in Ulma pro advocate ipsius Monasterii in Insulis se gerentium: ut inferas: Ergo Confules Ulmenses iam tunc fuerunt Canoniæ Wengenfis Advocatus. Nam 1. aliud est esse advocatum, &, gerere se pro Advocate. 2. Nec totum Capitulum multo minus Decanus solus, poterat, Sede vacante, statuere circa ea, per quæ præjudicabatur Juri & Authoritati Abbatis futuri; maxime cum per litteras foundationis non fuerimus subjecti Capitulo Augiensi. Abbatem autem quendam nos subjecisse Ulmensium advocatiæ, legali arguento nullo constat. 3. Si Ulmenses Consules jam fuerunt advocate nostri an. 1384. cur advocateam nostram postea primum an. 1398. emerunt? qua de emptione prorsus irrita vide infra §. VII.*

### §. III.

Ab initio Præposituræ sollicitat Magistratum de refusione damnum illatorum,

**P**etrus constitutus Gubernator navis prora pupique carentis, sive Præpositus Cœnobii penitus destructi factus, nihil prius habuit, quam ut omnem sollicitudinem impenderet, ut refusionem damnorum sibi, suisque illatorum, a Magistratu obtineret, ac remotis ruderibus novum Monasterium in Insulis excitaret. Nostandus autem hic primo venit destructionis modus, quem suis registris inscripsit, & Posteritati in monumentum reliquit in hæc verba: Item es istzu wissen, das die von Ulm des ersten ausgangs, als sy zu versteren und vernichten mit ihrem gewalt das Closter S. Michaelis auf den Wengen bey ihrer statt gelegen: da namen sy die glocken auf einen stain, und schlugen sy zu stücken.

Zum andern namen sy die Kelch, bücher, und Messgewand, und da sy es geblündert, da verbranten sy ain staines haus, doch verblib das Münster unverfehrt,

Demnach brachen sy das Münster ab, und zwey stainene häuser, und Creuzgang, und ein Gasthaus auf eim gemaerten stock, und zway Vichaus, und ein gemaerten stadel, ein thorhaus, und pfrendhaus, und ein gar hoche maur um das Gottshaus, und ein Mühle gemaurt unter das dach. Da sy nun das alles gestelten, da führten sy die Stain hinweg, und legten sy an ihr pfarrkirchen, und an ihr stattmaur.

Da das alles geschehen, da kommen sy mit uns überein, und gaben uns Brieff, unter ihrem grossen statt Insigel, das sy uns schirmen wolten, als ein jeglichen eingefessenen burger. Darnach und vns der Brieff ward bey zwey Jahren, da waren wohl viertausend quaterstain dannoch gebliben, von denjenigen die sy hinweg hetten geführt; da batten Wir sy, das sy uns vergunt den stain zu haimen, die führten wir in vnser haus, und wolten ein anfang darmit gethaun. Als wir das gestein zu unserm nuz wolten gebraucht haben, da sandten sy botten darzu, und namen uns die stain wider unsfern willen, da zeigten wir ihnen ihre brieff, die sy uns darum geben hetten, des könnten wir nit geniesen ihres anhangenden Insigels.

Sy klumen uns über die maur, vnd schlugen uns unser Thür auf, und namen uns das unsrige gewaltiglich, darin war uns nit gehalten was ihr brieff sagt.

Fürbas da namen sy uns unsfern Berg wider unsfern Willen, und satzten Zins darein, das muest ich thon. Wann sollt ich sy verliehen haben, ich Wolt vil mehr daraus erlangthaben. An dem stück ist der Brieff aber nit gehalten worden.

Weiter so habt ihr mir mein Weg genommen der in das Closter gieng, und habt die selbige gassen darein geleit, die allzeit gangen ist für die Schuester Mülin, dessen ich zu grossem Schaden kommen bin an dem acker.

Ex hac relatione docemur non tantum Collegium nostrum ad Insulas extra civitatem fuisse dirum in modum destrunctum, ac solo æquatum, partimque combustum & expilatum, sacramque supellectilem inde sacrilege ablatam ab illius temporis inimicis. sed etiam secunda vice in habitationis nostræ propria domo intra civitatem post datas jam in aliquam satisfactionem protectionis litteras iterum nos fuisse.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,

P p p p

fuisse bonis nostris violenter spoliatos, ac deinceps tertio contra omnem justitiam a possessione montis S. Michaelis contra Antecessorum nostrorum voluntatem deturbatos.

Hæc omnia damna ac injurias nobis illatas dolenti animo secum perpendens afflictus Antistes crebro consilium cum suis iniit, qua via, quibusque auxiliis tandem pertingere posset ad obtainendam satisfactionem præsertim cum videret Protectorum a Magistratu nobis concessum per integrum fere decennium nullius fuisse effectus, omnemque spem decollasse reædificandi extra civitatis muros novi Monasterii, quare non nihil molestioribus libellis cum Fratrum suorum consensu Primates civitatis accessit, ut tandem competenti satisfactione illata nobis damna resarcirent, locumque assignarent novo Cænobio extruendo aptum sive intra sive extra urbis Ulmensis mœnia. At surdas semper aures pulsavit nec auditus est, Repulsam Marchtallerus in MS. Chronico Ulmensi refundit in ædificationem majoris Basilikæ, qua tunc occupabantur Ulmenses, ac in odium quo flagrabant cives, eorumque Magistri in Monachos quorum intollerabile, ut idem ait, jugum jam tunc excutere cogitabant. Verba citati Authoris sunt hæc: In solcher Zeit haben sie (Canonici Wengenses) zwar ihr hail zu einem Kloster zu gelangen mehrmalen versucht, weilen aber der Ordensleuthe beraits mehr als man gern geschen, eingenistert hatten. Zumalen man mit dem Münsterbau beschäftiget were, hat ihnen kein gewüriger Beschaid gedeuen mögen. Vid. cit. Chon, MS.

#### §. IV.

Post multos tandem annos melior eidem spes affulget.

**A** destructione prima Insularum Wengensium usque ad primum regiminis annum, quo Petrus primo Præposituram adiit, jam octo anni elapsi erant, quibus durantibus nec modica spes quidem affulserat ejusdem Antecessori pertinendi de novam ædificationem Monasterii. Ipsi Petro adhuc exspectandum erat per annos fere quatuordecim, donec ad votorum suorum metam deveniret non sine domesticæ rei, ac disciplinæ regularis detimento, ut facile divinandum. Refert domesticus Scriptor: Petri temporibus Fratres conventuales fuerunt Joannes Gottbrodt & Udalricus Burgavv in medio Ecclesiæ nostræ sepultus, Nicolaus de Nave, Martinus Lübeck Presbyteri. Hujus Præpositi tempore defecit reformatio, quia non habentes mansiones coadi fuerunt discurrere per diversa loca, & terras, & se souere prout poterant. Ex hinc caput Oblaije & proprietatis incommoditas pullulare. Hisce tamen malis obrutus sollicitus Pastor ac pro congregandis dispersis ovibus semper intentus, nunquam intermisit per quatuordecim integros annos urgere refusionem damnorum, & novi Cænobii ædificandi consensum, maximisque propterea sumptus impedit. Post tot tandem annos hunc consensum etiam impetravit aut potius extorsit anno 1398, quem sequentibus litteris publicis Consules & Magister Civium expressit, ac in refusionem damnorum & satisfactionem Præposito Wengensi Petro ejusque conventui donavit Jus Patronatus, Decimatum, aliorumque Jurium Ecclesiæ in Holzkirch in Præsentia Henrici Zorn, publici authoritate Cæsarea notarii, debito modo requisiti, huic donationi subscriberet anno prænominato feria quarta post Purificationem B. & Gloriosæ Virginis Mariæ. Donationis litteræ sunt sequentes;

Nos Magister Civium, Consules, & tota Universitas Oppidi Ulmensis Constantiensis Diæcesis omnibus præsentium inspecto-ribus, & auditoribus, præsentibus & futuris notitiam subscriptorum

**Q**uia olim nobis, & nostro oppido prædicto per recolenda memoria Serenissimum Principem quondam Carolum quartum tunc Romani Imperii Imperatorem, ac etiam Serenissimum Principem, & Dominum nostrum Dominum Wenzlaum nunc Romanorum, & Bohemiæ Regem, Cæterosque Principes, Comites, Barones, ac Nobiles ipsius Imperii cum grandi Exercitu obfessis, & multipliciter gravatis; Nos timentes ex Monasterio S. Michaelis Archangeli in Insulis, in vulgari, in den Wengen nominato, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, quod extra oppidum Ulmense, & de prope ac in confinio ipsius oppidi fuerat situatum, plus gravari, ut ipsos tunc hostes nostros in eodem Monaste-

rio

yo atque per ipsum tueri posse, seque contra nos descendit, ne id fieret, sed & pericula damna atque gravamina hujusmodi evadere possemus & evaderemus, ipsum Monasterium, & ejus structuras, & ædificia fregimus, destruximus, & desolavimus.

Et quia Venerabilis & Religiosus in Christo Petrus nunc Præpositus, atque Conventus eiusdem Monasterii destructi & effracti, qui etiam a tempore destructionis ejusmodi usque in hodiernum diem mansionem in ipso nostro Oppido fecerunt, & habuerunt in eodem Oppido nostro & in certa area & loco per nos eis ad id deputatis novum Monasterium loco dicti Monasterii sui desolati erigere, ædificare, construere & reformare desiderant, & intendunt, in quo sub dicta sua regula, & ordine prædicto virtutum Domino valeant famulari.

Nos ipsos Præpositum & Conventum in suo tam pio proposito confoventes, & alias in recompensam, & satisfactionem destructionis, effractionis, & desolationis huiusmodi, atque damnorum, periculorum, & expensarum ac injuriarum per eos & ipsum suum Monasterium exinde pastorum habitorum & receptorum atque pro iisdem, & eorum occasione eiusdem Præposito & Conventui, suoque Monasterio totaliter de novo erigendo & construendo, & suis perpetuis temporibus Successoribus in eodem Ecclesiam Parochiale B. Barbaræ Virginis & Martyris in Villa Holzirchen Augustensis Diæcesis sitam, cum ejusdem Ecclesiæ doce, proprietate, & jure Patronatus, quæ, & quod ad Nos ac dictum Oppidum nostrum Ipsiisque Universitatem hactenus pleno jure pertinuit, & pertinere dignoscet, cum omnibus suis juribus, fructibus, Decimis, & redditibus, Proventibus, pertinentiis, & emolumenis universis tradimus, donamus, appropriamus, & assignamus, ac in eos transferimus his nostris scriptis, renuntiantes etiam quantum ad præmissa omnia & singula pro nobis nostrisque Successoribus universis omni exceptioni doli malive factu, actioni, & sine causa & quo majores vel minores juvantur vi gratitudinis quoque cuiuscunque veletiam debitæ solemnitatis non adhibitioni, omni juri & juris auxilio Canonici & Civilis consuetudinarii municipalis, quibus medianis contra præsentes nostros donationem appropriationem, translationem, & assignationem facere vel yenire possemus modo quovis, juri quoque dicenti generalem renuntiationem non valere, nisi præcesserit specialis. In quorum evidens testimonium, atque robur sigillum Oppidi nostri prædicti præsentibus duximus appendum.

Insuper Nos prænominati Magister Civium, Consules & Scabini instanter petivimus honorabilem Dominum Heinricum dictum, Vir, alias Zorn, publicum Imperiali authoritate Notarium, ut & ipse his nostris patentibus litteris se manu sua propria, inscriberet, signoque suo solito & consueto, quo in suo officio communiter utitur, debito consignaret in majorem evidentiam, & firmius robur omnium præscriptorum. Datum & actum in dicto nostro Oppido Ulm Anno Domini millesimo tercentesimo nonagesimo octavo proxima feria quarta post Purificationem Beatæ & gloriæ Virginis Mariæ.

Etego Heinricus Vir, alias Zorn dictus de Ulma Clericus Constantiensis Diæcesis publicus Imperiali authoritate Notarius juratus.

(L.S.)

(L.S.N.)

Quia recognitioni, donationi, traditioni, assignationi, appropriationi & refusioni reali prædictis, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sicut, ut præmittitur coram me agebentur, & fiebant, præsens interfui, eaque omnia, & singula, sic, ut præscriptum est, fieri vidi, & audivi. Idcirco ad instantem petitionem, & requisitionem Magistri Civium, Consulum & Tcabinorum, me hic propria manu mea inscripsi, signoque meo solito, & consueto, quo in officio Tabellionatus communiter utor, debite signavi rogatus, & requisitus, ut præmittitur in testimonium omnium Præmissorum.

P p p p 2

Hilari

Hilari quidem animo hasce litteras acceptavit, ac pro imperato tandem consensu novum ædificandi Monasterium, decentes gratias habuit Magistratus: totum tamen hoc negotium needum ita maturuisse sibi visum est, ut plenariam posset inire concordiam. Ré itaque cum Capitulo suo communicata frequenter deliberare cœpit, qua via ad meliorem satisfactionem pertingendum esset. Nondum erat determinatus locus ædificando cœnobio aptus, nullisque rationibus Ulmenses persuaderi poterant, ut in Insulis, sive in denen Wengen extra civitatis muros illud denuo construi paterentur, semper causati ex hujusmodi amplio ædificio belli temporibus plurima damna imminere posse, isthoc enim primum ævo Ullmann muribus cingere ac munire cœperant. Post plurimos tandem tractatus decrevere Consules ac Civium Magistri in ipsa civitate Ulmensi nobis assignare locum, in quo nostris sumptibus novum cum Ecclesia construeretur ædificium. Ad præstandam satisfactionem autem aliam permovendi diu non erant. Sed nec Præpositus noster cum Capitulo permoveri poterat ad ineundam cum civitate amicabilem compositionem, nisi hac prius obtenta. Approbavit etiam cœlum hanc animi sui constantiam: emollii sunt adversantium animi; imo, quos hactenus experti sumus Adversarios, eodem adhuc anno sensimus amicos, & facta est cum utriusque partis lœtitia, amicabilis compositio, solemni firmata instrumento, quod legitur in sequenti §.

### §. V.

Inita Petri & Capituli Wengensis cum Magistratu & Universitate Civium Ulmensium concordia.

**P**lacuit Supremo Numini per viginti & duos annos integros Wengam tribulationibus vere magnis exponere; at simul Eidem etiam placuit illam ceu Phænicem e cineribus rursum educere, factum hoc est, postquam Petrus amicorum plurium suasum tandem concordiam initit cum adversante hactenus sibi Magistratu. Hic annosæ controversæ pertæsus tandem præter donatam Parochiam in Holzkirch cum omnibus Juribus ac pertinentiis in resarcitionem damnorum illatorum quingentas libras Hallenses obtinuit, quæ juxta ipsiusmet Petri in suis registris calculum ea tempestate conficiebant quingentos florenos, quæ tunc non ignobilis erat Summa. De nova hac oblatione mox contulit cum suo Capitulo, præsertim autem cum Reverendissimis DD. Joanne Præposito in Roggenburg, Ordinis Præmonstratensis & Jacobo Waldseensi Canonicorum Regularium Antistite, quos speciales semper amicos veneratus est, quorum piissimis manibus æternum bene sit. Hi viri amplissimi ambo pari consilio suaferere, ne porro Petrus in concordia cum Magistratu ineunda se præberet difficilem, sed summam oblatam absque ulteriori tergiversatione acceptaret. Quare post aliquot tractatus cum Civium Magistro, Consulibus & Universitate Oppidanorum habitos: in Donationem prædictæ Ecclesie & oblatam Summam consensit Anno 1598. dienona Mensis Maij erecto desuper publico Instrumento, quod integrum posteris communicamus.

**I**nstrumentum Concordiæ cum Inclito Magistratu Ulmensi initæ, consensus Translationis Monasterii de Insulis in Civitatem - item Donationis Ecclesie in Holzkirch & quingentarum librarum denariorum,

**I**n Nomine Domini Amen. Petrus Præpositus, totusque Conventus seu Capitulum Monasterii sancti Michaelis Archangeli in Insulis in vulgari: Ju den Wengen nominati, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium Constantiensis Diæcessis omnibus Christi Fidelibus præsentibus & futuris subscriptorum Notitiam cum orationibus utinam in Chisto devotis.

Quia plerumque gesta hominum ex diurno processu temporis surripit oblivio ex labilitate humanæ memoriae ortum trahens, unde expedit ex instrumentis publicis suffulciri; hinc est quod tenore præsentium pronoibis nostroque Monasterio, successoribusque nostris singulis & universis recognoscimus, & notum volumus esse universis præsentes litteras inspecturis, quod nos bona & matura capitulari nou semet

semel , sed sepius deliberatione ac tractatibus Capitularibus aliisque solemnitatibus juxta ritum , morem & conuentudinem Ordinis & Monasterii nostri præhabitiis cum prudentibus & circumspetis viris , Magistro civium Consulibus & universitate civium seu oppidanorum oppido Ulmensis dictæ Constantiensis Diœcesis non vi coacti , nec metu compulsi , nec dolo aliquo circumventi , sed sponte atque libere tractatum compositionis amicabilis inivimus & cum eisdem amicabiliter compositi , concordati & complanati sumus de & super destructione , fractione & delocatione predicti nostri Monasterii ac aliorum ædificiorum & structurarum infra limites & terminos ejusdem nostri Monasterii sitorum & sitarum per universitatem seu communitatem oppidanorum sive civium dicti oppidi Ulmensis pro eorum necessitate & tuitione ipsius oppidi pridem factis timentes sibi verisimiliter de dicto nostro Monasterio quod extra ipsum oppidum Ulmense in ipsorum tamen confinio & de prope fuerat situatum , damna & pericula gravia evenire potuisse tempore quo ipsum oppidum per recolendæ memoriae Serenissimum Principem Carolum quartum tunc Imperatorem , ac etiam Serenissimum Principem Wenceslum nunc Romanorum & Bohemiae Regem , cæterosque Principes , Comites , Barones ac Nobiles ipsius Imperii cum grandi exercitu erat obsecsum , nec non super omnibus & singulis damnis & injuriis nobis , & dicto nostro Monasterio in possessionibus & hominibus ac rebus quibuscumque mobilibus & immobilibus per dictam universitatem ac communitatem oppidi Ulmensis quomodocumque & qualitercumque illatis & factis . Itaque in satisfactionem , refusionem , recompensationem omnium & singulorum damnorum & injuriarum prædictorum a prænominatis Magistro civium , Consulibus , universitate & communitate dicti oppidi Ulmensis nomine nostri Monasterii prædicti ac pro nobis & nostris Successoribus , tam Ecclesiam beatæ Barbaræ Virginis & Martyris in Villa Holzkirch Augustensis Diœcesis sita cum ejusdem Ecclesiæ dote , proprietate & Jure patronatus , quæ & quod ad ipsos Magistrum civium & Consules ac Universitatem oppidi Ulmensis pleno jure pertinebat cum omnibus suis juribus , redditibus , proventibus & pertinentiis universis , & nobis & nostro Monasterio perpetuo ordinatam & traditam , quam etiam in pecunia parata recepimus & habuimus ac recipimus quingentas libras denariorum Hallenium bonorum & usualium nobis & Monasterio nostro per eosdem Magistratum civium , Consules & universitatem traditas & solutas , & in utilitatem nostram & nostri Monasterii ipsiusque restorationi & reparacioni seu constructioni conversis seu convertendis at in antea temporibus perpetuis habendis , possidendis & nanciscendis ac de fructibus dictæ Ecclesiæ pro libitu voluntatis disponendis . unde etiam pro nobis , nostro Monasterio & Successoribus nobis singulis & universis eisdem Magistro civium , Consulibus , Universitati seu Communiciati dicti oppidi Ulmensis pro se suisque Successoribus recipientibus & acceptantibus fecimus , & præsentibus facimus refutationem & transactionem ad pactum & quidquid melius dici valet & potest de ulterius non petendo , nec agendo super præmissis seu quolibet præmissorum coram quocumque Judice Ecclesiastico vel sæculari aut extra Judicium absolventes & liberantes ac quittos , liberos & absolutos redentes & dicentes pro nobis dictoque nostro Monasterio & quibuslibet nostris Successoribus , coram Deo & hominibus prænominatos Magistrum civium seu oppidanorum , ac ipsum oppidum Ulmense , nec non univerlos & singulos oppidano seu cives præsentes ac futuros & quoslibet eorum hæredes , in genere & in specie ac quoscunque alias nomine ipsorum culpabiles in præmissis vel aliquo præmissorum ab omnibus & singulis injuriis & damnis vel eorum occasione quocumque modo vel causa quamcumque habuisse vel habere potuissemus , vel possemus , promittentes pro nobis & Successoribus nostris singulis & universis per juramenta nostra per nos & quemlibet de conventu seu Capitulo præfita prænominatis Magistro civium , Consulibus , & Universitati seu communitati civium , nec non universis & singulis civibus seu oppidanis oppidi Ulmensis prædicti , & quibuscumque suis Successoribus sive hæredibus , seu quibusvis aliis eorum in hac parte complicibus , fautoribus , servitoribus , ac omnibus & singulis qui ad hoc dederunt consilium vel favorem de & super omnibus & singulis injuriis & damnis per eos , seu alterum ipsorum nobis , & nostro Monasterio , ut præmittitur qualitercumque , & quomodocumque illatis , vel occasione prædictorum seu alia quacumque per nos , vel alium , seu alios litem , controversiam , seu quæstionem aliquam de jure vel de facto ullo unquam tempore non inferre , nec movere , nec inferenti , seu inferentibus consentire , sed prædicta omnia & singula perpetuo firma , grata & rata habere , & tenere , nec contra ea facere vel venire de jure , vel de facto , directe

Q q q q

vel

vel indirecte quovis ingenio quæsto vel colore sub poena trecentarum marcharum argenti stipulatione in singulis capitulis hujus tractatus præmissa totiens committitur, exigi possint in singulis Capitulis, quotiens contra factum fuerit, qua etiam soluta, vel non soluta rata maneant atque firma omnia & singula suprascripta. Et nihilominus reficere & restituere ipsis & eorum hæredibus ac Successoribus omnia & singula damna & expensa ac interesse litem & extra. Renuntiavimus quoque & præsenti instrumento renuntiamus pro nobis & nostris Successoribus singulis & universis in & super præmissis certificati omni exceptioni, doli mali deceptionis & circumventionis ac metus & coactionis cuiuslibet actioni infirmæ, beneficio restitutionis in integrum non numeratae non solutæ pecuniae, vel rei non traditæ, seu non receptæ, litteris, gratiis, privilegiis, Monasterii seu Ordinis nostri concessis instrumentis juribus, consuetudinibus & statutis quibuscumque editi & edendis, impetratis vel impetrando a sede Apostolica vel aliunde exceptioni debitæ solemnitatibus non adhibitæ & Juri dicenti generalem renuntiationem non valere, nisi præcesserit specialis, omnique juris auxilio Canonici & Civilis, quibus mediantibus juvari, facere vel venire possemus contra ea, quæ in præsenti bus litteris continentur in toto vel in aliqua sui parte, adhibitis in præmissis omnibus & singulis verborum & gestuum solemnitatibus & renuntiationibus debitib & consuetis. Et in præmissorum omnium & singulorum evidens testimonium præsentes litteras per Notarium publicum subscriptum scribi & publicari seu in formam publicam redigi mandavimus, Sigillorumque nostrorum Præpositi & Conventus seu Capituli fecimus appensione muniri.

Acta sunt hæc in oppido Ulmensi prædicto in stuba majori domus nostræ habitationis, ubi nos Retrus Præpositus Johannes dictus Goppraut Ulricus dictus Burgow & Nicolaus dictus de Navve Conventuales dicti Monasterii Capitulariter eramus congregati, ac Capitulum fecimus Anno a Nativitate Domini Millesimo CCCmo LXXXmo octavo indictione sexta Pontificatus Smi in Christo Patris ac Domini Domini Bonifacii digna Dei Providentia Papæ Noni Anno nono die nona Mensis Maij hora sexta præsentibus Venerabilibus & discretis viris Dominis Jacobo Præposito in Wale dicti Ordinis sancti Augustini Constant. Johanne Præposito in Roggenburg Ordinis Præmonstratensis Augustensis Diœcesis, ac Johanne Kruthain Presbytero præbendato in Ulma publico Imperiali auctoritate Notario, pluribusque aliis personis fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

(LS.)

Et ego Hainricus vir, alias dictus Zorn de Ulma Constantiensis Diœcesis publicus Imperiali Auctoritate Notarius Juratus. Quia omnibus & singulis in præsenti instrumento conscriptis & prout conscripta sunt una cum prænominitis testibus, tempore & loco quibus supra præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi ac stipulationi a dictis Dominis Præposito & Conventionalibus recepi, idcirco præsens publicum instrumentum per alium me aliis occupatum negotiis scriptum de mandato dictorum Dominorum Præpositi & Conventionalium publicavi & in hanc formam publicam redegi, & me hic manu mea propria subscripti, ac signo meo solito & consueto una cum appensione Sigillorum ipsorum Dominorum Præpositi & Conventus Monasterii in Wengen signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium præmissorum.

(LS.)

His omnibus ex ordine, ac debita cum solemnitate peractis Petrus noster prudens, & cautissimus Antistes præcipue cum de transferendo in alium locum, civitatem scilicet Ulmensem, asceterio ageretur, atque omnia alia perpetuum acciperent robur etiam Reverendissimo Episcopo Constantiensi humilibus supplicavit litteris, ut suo quoque confirmationis calculo initam cum Ulmensi Magistratu confirmaret concordiam, ac gratiosissimum impertiretur pro transferendo Monasterio consensum. Easdem preces repetiit apud Venerabilem & Religiosum Abbatem Monasterii in Creuzlingen Canonici Ordinis S. Augustini in illis partibus Visitatori. Facile etiam, quod petiit impetravit, ut ex subscriptione patet, huic instrumento annexa.

Bur.

Burchardus Dej & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantienis, nec non Erhardus divina permissione Abbas Monasterii in Creuzlingen extra muros Constantienses Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium. Notum sit tenore præsentium universis & singulis præsentes litteras inspecturis, quod visis per nos & diligenter attentis & recensitis omnibus & singulis in præsenti instrumento, quibus etiam præsentes nostræ litteræ sunt affixa conscriptis & actis omnia & singula nupero instrumento conscripta, & acta approbabimus, authorizavimus, & confirmavimus, & in quantum quovis modo opus est, vel necesse pro nobis & nostris Successoribus singulis & universis Authoritate Ordinaria approbamus, confirmamus & authorizamus, eisque sic scriptis & actis consensus nostros adhibui-  
mus per præsentes, & in præmissorum evidens testimonium ac robur firmum Si-  
gilla nostra præsentibus duximus appendenda. Datum & actum Constantiæ An-  
no Domini millesimo CCCmo nonagesimo octavo.

### §. VI.

#### Obtinet a Bonifacio IX. R. P. Incorporationem Ecclesiæ in Holzkirch.

Jam supra meminimus Donationis Juris Patronatus, Deciminarum, aliorumque Jurium Ecclesiæ in Holzkirch nostro Collegio in refusionem illatorum damno-  
rum ac inclyto Magistratu & tota Universitate oppidi Ulmensis donatorum. Quæ donatio ut firmo semper tali subsisteret, curam omnem impendit. quare huma-  
na voluntatis inconstantia memor omnem lapidem movit, ut a Sede Apostolica non confirmationis tantum robur, sed incorporationis quoque gratiam impetrar-  
et, vi cuius possessionem donatorum horum Jurium absque ullo impedimentoo  
nobis liceret apprehendere. Bonifacius hujus nominis IX. humillimis precibus Pe-  
tri nostri inclinatus in illius vota clementissime consensit. Æternas quidem Apo-  
stolica Sedi ob hanc gratiam debemus ac dicimus gratias, quamvis de Jure Patro-  
natus hujus Ecclesiæ nihil amplius nobis supersit, sed ab hujate Magistratu exer-  
ceatur, & Pastoribus conferri soleat, a Religione Romano-Catholica alienis.  
Brevis Confirmationis Apostolicæ tenor est sequens.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei me-  
moriā. Sacrae Religionis sub qua dilecti filii Præpositus & Conventus Mono-  
sterii in Insulis extra muros opidi Ulmensis per Præpositum soliti gubernari, Or-  
dinis sancti Augustini Constantiensis Diœcesis devotum & sedulum exhibitent Do-  
mino famulatum, promeretur honestas, ut vobis eorum illis præsertim quæ co-  
modum & utilitatem dicti Monasterii conspicunt, quantum cum Deo possumus  
favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos ipsorum Præpositi & Conventus sup-  
plicationibus inclinati parochiale Ecclesiam in Holzkirchen Augustensis Diœce-  
sis quæ de Jure Patronatus dicti Monasterii existit, at ejus Decimæ cum omni-  
bus Juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio, cuius quinquaginta Marcharum  
argenti, fructus, redditus & proventus secundum communem existimationem,  
valorem annum, ut afferitur, non excedunt, in relevamen onerum eisdem  
Præposito & Conventui incumbentium Auctoritate Apostolica tenore præsentium  
in perpetuum unimus, anneximus, & incorporamus. Ita quod cedente, vel  
decedente Rectore dictæ Ecclesiæ qui nunc est, vel Ecclesiam ipsam alias quomo-  
dolibet dimittente, liceat præfatis Præposito & Conventui corporalem possessio-  
nem ejusdem Ecclesiæ Authoritate propria, Diœcesiani loci, aut cujuscumque al-  
terius licentia super hoc minime requisita libere apprehendere ac perpetuo licite  
retinere, reservata tamen de hujusmodi fructibus redditibus & proventibus dictæ  
Ecclesiæ pro perpetuo Vicario inibi instituendo congrua portione de qua idem Vi-  
carius congrue sustentari Episcopalia Jura solvere, ac alia sibi incumbentia onera  
valeat supportare. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis contrariis qui-  
buscumque, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi vel  
aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales Apostolicæ Se-  
dis, vel legatorum ejus litteras, impetrarint, etiam si per eas ad inhabitationem  
reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum quas quidem  
litteras, & processus habitos vel habendos per easdem, & quæcumque indese-  
cuta

Q q q q 2

cuta ad præfata Ecclesiam in Holzkirchen nolumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet litteris, privilegiis & indulgentiis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel tota-liter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differret, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litte-ris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si securus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotens Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datae Romæ apud sanctum Petrum XII. Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno Nono.

(L.S.)

## §. VII.

Conradus Comes de Werdenberg Advocatiam vendere tentat.

**D**um hæc ita gererentur, ac pacem & tranquillitatem omnia spectarent, cœpit inimicus homo nova superseminare zizania. Eodem enim quo Petrus cum hujate Magistratu init concordiam, anno tentavit Conradus Comes de Werdenberg Collegii nostri vendere Ullmensibus. Advocatiam, nullo ad hoc jure ex-peditus. Productæ sunt illius litteræ in quodam processu in Consilio Aulico Imperiali Viennæ elapo Sæculo. Antequam hasce lectori exhibeam litteras aliqua erunt adnotanda ex Felicis Fabri tractatu de civitate Ullensi. Comites Illustres de Werdenberg ab infelibus Judæis Ulmæ morantibus pecuniam ad usuram accipientes in tanta devenerunt debita, ut defientibus pignoribus mobilibus pignora immobilia dare cogeren-tur. Undenobilis comitatus Albegg cum castro & oppido & omnibus attinentiis Judæis impigneratus fletit, & jam apud Imperatorem laborabant, ut dominium & castrum, quæ jam eorum erant, per usuræ cunsumptionem inhabitare & possidere possent. Quod ut Ullmenses perpenderunt, comitatum illum de manibus Judæorum redemerunt, & posse-de-runt usque in hunc diem. Ex his, ni fallor, satis patet, quam miserabilis conditio circa finem Sæculi quarti decimi horum fuerit Comitum. Hic ipse, quem supra memoravimus, Comes Conradus Comitatum Albeggensem cum omnibus Juribus, appertinentiisque, & Advocatiis annexis vindidit Ullensi Magistratui anno 1383. pro florenis 6830. Quid mirum ergo si pecuniarum indigus anno 1398. vendere tentaverit etiam Jus Advocatiæ super Wengense Cœnobium, quod tamen nunquam habuit. Evolvamus dantaxat primas fundationis nostræ litteras, in quibus sequen-tia legimus: Notum fit etiam omnibus quod Wittigow Fundator ipsius loci pro defensio-ne absque omni exactione, Jure Domini ab Abbatे Augiæ fuscipiat advocatiam, & eadem advocatia ut ad omnem suam postertatem, scilicet Seniorem Masculum transeat, insi-tuit. Ex quibus luce meridiana clarus elucet, advoatiam super Wengense Monasterium solis duntaxat Masculis seu filiis, non filiabus, Comitum de Albeck competiisse. Placuit hoc Magero de advocat. armata. Consilium, & præclarum exemplum vocat, quod Wittegogus ad gratiam sub hac limitatione instituerit, ut illa tantum ad Posteros familiae suæ, semperque ad seniorem masculum transiret. Consultius enim, inquit, atque clientibus utilius est, unum & senem & prudentem habere patronum quam plures, quia solet negligi, quod communiter possidetur. I. 2. c. quando & quibus quarta pars lib. 10. & dicit Aristoteles I. 2. polit. quod multorum commune est, in ea minima adhibetur diligentia. Cum proin Albeck-en-sis familia jam prorsus fuerit extincta, & Conradus de Werdenberg se nullo modo gerere potuerit pro Seniore Albeggiorum Comitum masculo, pro advocoato Monasterii nostri nunquam se gerere potuit. Evanescit enim, inquit laudatus Ma-gerus loc. cit. c. 16. n. 133. Jus advocatiæ, si omnes de familia, quæ protegendi jus ac potestatem habuit, morte sublati fuerint. Vendere itaque præsumpsit Conradus Comes jus aliquod quod ipsenon habuit, ac jam evanuit.

Pal.

Palmari autem hoc argumento minime attento, per litteras illud vendere tentavit, quæ fidem non merentur cura de interveniente pretio in illis nec verbulum occurrat. Est enim omnibus Juris Consultis notum, quod emptio & venditio nihil aliud sit, quam contractus consensualis, de re pro certo pretio tradenda, præter rem ad emptionis & venditionis objectum ex parte emporio requiritur *pretium*, quoniam emptionis substantia consistit ex pretio, sub voce pretii autem intelligitur pecunia numerata sive numini ad numerum solvendi. Ergo non est emptio, si quis dicat vendo marca, aut unciis aliquot auri, vel argenti, item si ab utraque parte res detur, ubi autem *pretium* ullum nominatur in litteris Conradi Werdenbergici ? accedit & hoc:

Advocatiam super Canoniam Wengensem semper fuisse *Jure Domini ab Abbatie Augia deditis* (quæ verba sunt in fundationis litteris expressa) requirendam ergo alienari & vendi non potuit absque illius consensu, per quascunque enim causas aliquid fit, per easdem etiam dissolvitur, nullo itaque jure subsistere clancularia Advocatiæ venditio potest, quæ absque Abbatis Augensis consensu est æcta. Quamvis autem hisce litteris appensa sint trium Nobilium Sigilla, parum tamen morari debuit Petrum hoc instrumentum, quod ab initio fuit nullum, nec plurimum Sæculorum tractu potuit convalescere. Fatemur autem gratanti animo Nos & Antecessores nostros in *honorarios cives* post hanc destructionem ab inclyto Magistratu fuisse admissos, subque illius protectionis scuto nos præsertim hoc tempore tranquille vivere, totique universitati civium optima quæque ecclæ charismata precari.

### Litteræ Conradi de Werdenberg.

**W**ir Graffe Cunrat von Werdenberg veriechen offenlich für uns, und für alle unser Erben, mit disem Briefe, und tugen kund allermäßiglich, das wir mit gutem Willen: und mit wohlbedachtem Sinne, und mute, den Erbern und wisen, dem burgermaister, dem Raute und allen burgern, gemeinlich der Stadt ze Ulme, und allen iren Nachkommen, mit disem briefe, ietzo recht und redlich ze ainem Stetaen und ewigen Koffe, ze koffent geben haben, die Vogty und alliu unserin recht, die wir haben zu dem Gottshuse in den Wengen und über alliu desselben gotzhus lute, und och güter, wo diu gelegen, oder wie die genant sind, besucht und unbesucht, also das sy und ir nachkommen dieselben Vogty, und alliu unseriu rechte, die Wir zu demselben gotzhus haben, und och über alle ire Lute, und gute nu fur bas mer ewiglich, und gezuwicklich inne haben, han und niesen sullen, als ander ir aigen gute, also datz wir, noch dehain unser Erben, noch Nieman andero, von unsfern wegen, sy noch ir nachkommen, noch nieman andero von iren wegen, nu fur bas mer davon nichtz iren bekumbern, noch bekränken sullen, noch wollen noch kain Vorderung ansprach, noch Recht, mit dehainen gerichten weder gaistlichen noch weltlichen, noch one gerichte, noch gemainlich mit dehainen Sachen fürzogen noch funden, darzu noch darnach ewicklich nochnymmer mer sullen, noch mögen gewinnen, noch han, an dehainen Stetten, noch in kainen weege wan wir uns aller unser Recht vorderung und ansprach die wir dazu ie hetten, oder gewunnen oder für bas imer mer darzu haben oder gewinnen möchten, ietzo gar und genzlich verzügen haben, Wan sy uns detumbe gegeben und gethan hand, das uns lieber was, und das uns wohl von in begnügt, und des alles ze warem, und offsem urkund, geben wir vorgeunter graffe Cunrat für uns, und für alle unser Erben den vorgen burgern der Stadt ze Ulme, und allen iren nachkommen disen brieff, besiegelt mit unserm aigen angehenkten Insigel, darzu kan ich ulissig gebetten, die vesten und och erbern Ulrichen von Riethain den Jungen und och Moerken von Randegg mit, das die Iriu aigniu Insigel one Schaden, in selb zu einer waren gezeugnnüsse der Sache, öffnlich gehenk hand an disen brieff, der geben ist an Mittwochen vor dem Sunnetag in der Fasten, als man singet Judica, da man zalt nach Christus geburt druzehn hundert Iare, und darnach in dem acht und neuntzgosten Jahre.

Nisi vehementer fallor, hisce litteris Conradus Comes cum prædictis Nobilibus Ulman veniens, nil aliud voluit, quam Magistratus captare benevolentiam, ut lautori nempe exciperetur convivio; cæterum de valore factæ venditionis parum sollicitus. Narrat de hoc ipso (cujus nomen tamen silet) comite Felix Faber; quod omnia quæ habuit, vendidérit, & accepto pretio ab Ulmensibus pro se &

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

R r r r

sex

sex personis ad vitæ sustentationem emerit hoc privilegium, ut cum suis in quo-cunque hospitio placeret, manere posset, & ad placitum hospitium mutare, & propter hanc conditionem multum superaddiderit pecuniam. Vid. Fabri Hist. luev. L. 2. p. 238. & seqq. Interim

Æquiorem ac faventiorum se erga faventiorum Wengense exhibuit Hen-ricus de Werdenberg, qui hoc ipso anno, quo vendere advocatiam tentavit Con-radus, Decimas nobis donavit in Albeck auf dem Negel: & advocatias quasdam ad-jecit prædiorum aliquot in Holzkirch, cuius donationis litteræ adhuc supersunt, Decimas autem capiunt alii.

(L.S.)

(L.S.)

(L.S.)

## §. VIII.

Petrus pace cum Magistratu inita plures favores obtinet. Controver-siae cum Parocho civitatis compositæ.

**R**econciliatis animis, & concordia inter dissentientes inita non defuit cælestis be-nedictio. Sensit certe Petrus indies Magistratum, & civium animos, sibi magis faventes, qui expresse laudabiliter & magnifice (ut habeat phrasis littera-rum antiquarum) promiserant se pro constructione & reædificatione Monasterii Domus & Oratorii porro manus pias & adjutrices porrigerere velle. Quæ promissa minime optato caruere effectu. Recepimus enim præter Ecclesiam B. Barbaræ Virginis & Martyris in Holzkirch etiam Ecclesiam S. Martini in Ballendorff Diœ-cesis Augstantæ cum harum Ecclesiarum dotibus, proprietatibus & jure, quod ad ipsos Magistros civium & Consules pertinebat, cum omnibus suis juribus, reddi-tibus, proventibus & pertinentiis universis nobis & nostro Monasterio perpetuo ordinatas & traditas. Insuper annuerunt dicti Magister civium & Consules, ut prædictus Petrus Præpositus redimeret omnes Decimas in Ballendorff (quæ pro tunc ad eos pertinebant) cum dote & jure Patronatus ejusdem, nec non & cu-riam in Ellingen, & quatuor prædia ibidem cum omnibus attinentiis pro quinque & libera Hallensium, medium scilicet partem ab Egeno de Auslабingen, & me-diam partem ab Anna de Eittenstatt uxore relicta Werner Stampsleibs. Hæc ci-ves Ulmenses, inquit noster Historicus unanimi consensu in refusionem uberiorem præscriptorum damnorum, quæ ipsi Monasterio intulerunt, admiserunt dicto Præ-posito & conventui illa redimere pro præcripta Summa videlicet 5. & dimidia li-bra denariorum Hallensium.

Tam faustis initiis applausit tota vicinia solus civitatis Ulmensis Rector seu Parochus Udalricus Gäsler oculis minus æquis subitaneam hanc mutationem Ma-gistratus & Consulum alpepit timens in posterum ex nova Monasterii erectione, non parva parochialibus suis juribus oritura præjudicia, quare nullum non movit lapidem, ut Petro suisque extra civitatem assignaretur locus, cum molestias indies novas illi faceceret, negotium hoc ac Parochi minas ad Magistratum detulit, qui ut rem omnem Petrus dissimularet, nec secum Parocho in ullos tractatus imiteret, suasit, reliqua autem omnia sibi relinquere ad favorem ipsius dirigenda, hæc in suis registris annotavit Pettus hisce verbis ad Magistratum. Da ich auch sagt das mich der Pfarrer nit woll lassen verbleiben, als ich von rechswegen solt, da sprachend ihr ich solt schweigen unt solt euch mit ihm umgehen lassen, dan der Pfarrer thät nit, dan was ihr woltet. Sed compositionem Magistratus non ad-misit. Videns tamen quod obtentum denovo intra civitatem construendo Mono-sterio nullis machinis impedire valeret, Octo Articulis complexus est petitionem suam, quibus ceu limitibus coarctari voluit jura Primi Wengensis Præpositi, suo-rumque Successorum. Nec acquievit prius donec rei decisio ad arbitros Indices fuisse delata, quod munus libenter suscepit Episcopus Constantiensis Marquardus & Erhardus Abbas Creuzlinganus ab utraque parte adversantium libere electi, qui propterea laudum erexere atque propositos ab Udalrico articulos sequentem in modum componuerunt anno 1399. debita solemnitate munitum.

P. 118  
P. 119

Primus articulus ipsi Præposito Petro & fratribus oppositus a Plebano est iste: Ne habeant communem sepulturam in perpetuum nisi tantum pro Fundatoribus & familiaribus, hoc tamen pacto, ut sibi de omnibus quarta pars cedat. Hic articulus sic definitus est, ut omnis hujus utriusque sexus civitatis incola libere possit eligere in dicto Monasterio sepulturam sic tamen ut media pars de his proventibus oblationum & aliorum cedat Ecclesiæ Parochiali.

Secundus articulus est: ne cantarent Missam publicam, neque alias ante horam primarum, seu ante pulsum officii publici in Parochia. Cujus determinatio taliter facta est per prædictos, quod dicti fratres, & sui Successores possint inchoare officium divini cultus, & pulsum orta jam sole seu hora primarum dum pulsus fit in dicta Ecclesia parochiali, & subsequentes Missas, & alium divinum cultum persolvere secundum regulæ, Statutorum & consuetudinis observationem. Tertius articulus est, ne dictus Præpositus & Conventus, & Successores eorum Missas & Altaria fundent, nec fundare permittant in Monasterio dicto, & per Laios Presbyteros innofficiare & providere, hujus articuli declaratio hæc est, ut maneat in forma & rigore suo sicut est propositus.

Quartus articulus est, ne in dicto Monasterio suo faciant Sermones ad populum verbum Dei pronuntiando ante finem Sermonis in Parochia, & si postea velint sermocinare, faciant hoc tum per suos Conventuales, & non extraneos.

Hujus articuli finis hic est, quod permaneat in suo rigore, ut permittatur hoc adjuncto, quod si in Parochia non sit sermo, tunc ipsi in Monasterio libere possunt tempore competenti, & in nullo alio loco, seu Ecclesia, & solum per Conventuales.

Quintus articulus est, ne ipsi vel Successores eorum palmas, candelas, herbas, lagena, id est, Øster Gladen; nec alia benedicant, nisi tantum pro se, & familia sua, nec mulieres post partum introducant, nec infantes ad Altare oblatos suscipiant, nec Sacramentum Eucharistiae, extremam unctionem administrent, nec Matrimonia solemnisent. Hic articulus tali modo est definitus, quod possint benedicere palmas, herbas, lagena (pro se & suis) si autem contingere fieri extraneis casualiter non eis imputetur. De aliis vero Sacramentis administrandis non se intromittant.

Sextus articulus est, ne dicti Conventuales, & eorum Successores aliquod privilegium indultum aut mandatum a Sede Apostolica ullo modo nec per se, nec per alios impetrant super infra & supra septem articulos in præjudicium Ecclesiæ parochialis, qui articulus determinatus est permanere in suo rigore, ut præfertur.

Septimus articulus est: ut media pars omnium rerum collatarum pro ædificio Monasterii cedat plebano, quem articulum ita determinaverunt, ut omnia collata pro ædificio Monasterii, vel alias Monasterio evenientia vel eventura nullo pacto permittant plebano, sed omnia remaneant Monasterio.

Octavus articulus, qui & ultimus: ut omnia offerentia Monasterio, & ad Altare oblata sibi cedant, Qui hac ratione declaratus est, ut medietas oblitorum super altaria Pastori Ecclesiæ parochialis cedat, acta sunt hæc anno Domini 1399. inductione septima Pontificatus Smi in Christo Patris & Domini D. Bonifacii Papæ IX. anno decimo, die 10. Mensis Octobris.



P A R S II.  
P E R I O D U S II.

C A P U T II.

**D e Bertholdo III. secundo in urbe Ulmensi  
Præposito, ejusque Successore Udalrico I.**

§. I.

Bertholdus, ut prætenditur simoniace electus, secunda vice  
eligitur.

**B**ertholdus III. Præpositus XIV. secundus in civitate pariter dictus Neger alias Beck regnare cœpit anno Domini 1405. Vir fuit præclaris naturæ dotibus ornatus, maturus & strenuus, honestatem & Religionem diligens, unam & quidem gravem detexere aut detegere voluere Scriptorcs Domestici maculam, Simonia scilicet in prima ipsis electione commissæ. Erepto terris Petro vi privilegi in ipsis litteris fundationis contenti ad liberam Electionem procedebant pauci, qui tunc vivebant, & vocem habere in Capitulo poterant, Canonici quorum nomine erant Nicolaus de Halle Magister artium, Conradus Kizendorff, Joannes Zwierler, & Conradus de Blintheim omnes Presbyteri, electione canonica elegabant Bertholdum. Electionis hujus acta ejusque confirmatio reperitur in Archivi Ulmensis aliquo documento, ex quo disco sequentia: *Anno 1405. ist der von den Wengen erwählte Probst Berchtold Abbt Friderichen in der Reichenau rite præsentirt wurden, dixerat auch jenen den Confirmations Brief darumb geben in welchen der Abbt denuo melt, quod istius Præposituræ investitura ad Abbatem Augiæ Majoris Monasterii sui pleno Jure pertineat danerhero er dem Convent Wengen sub Canonica obedientia gebeut obigen confirmirten Probst zu respectieren. Fuit hic Fridericus Abbas ex Monacho Augiensi factus anno 1402. Vit pius juxta Brushium & Religionis non obscuræ studiosus, sed non adeo doctus. Præfuit annis viginti quinque ac obiit anno Domini 1427. prima Augusti. Post porvum temporis lapsum Electio Bertholdi rejecta est ab hoc ipso Abbate tanquam simoniaca, & confirmatio declaratæ pro irrita. Sed quid jam? an ergo Bertholdus gravi Simoniæ scelere se commulavit? Simonia crimen est subtile adeo, ut etiam ab inadvertentibus in foro externo facile committi possit. Quidquid sit, Bertholdus ipsemet scrupulis agitari cœpit, ac non amplius valens sustinere accusatorum suorum insolentiam, missò ad Sedem Apostolicam Nuntio Alexandro Papæ V. quæ pro & contra dici poterant, summo candore exposuit. Res diu Romæ non hæsit, sed brevi temporis intervallo a laudatissimo hoc Pontifice commissionem accepit Augiæ divitis Abbas, ut Berchtolduu, si sibi repertus fuisset idoneus & sufficiens ætate & scientia, quod posset & sciret legere Missam, de Præpositura provideret, hisce litteris prædictus Fridericus acceptis, Joanni Monacho, qui Comes de Luphen erat, executionem Commissionis Apostolicæ demandavit, qui etiam Ultiam veniens vice sui Abbatis easfunctus est convocatis in unum fratribus conventionalibus in Refectorio in præsencia Præsulis Creuzlingani Præpositi, Jacobi Waldseensis, & Wernerii Burronensis Prælati ac Joanni Schurpfer Vicarii in Spiritualibus Episcopi Constantiensis, ut constat ex fragmento hujus confirmationis cum signo Notariatus Conradi Schmid Notarii publici in pergamento. In horum omnium præsentia Bertholdus nil tergiversatus publice & libere mox resignavit suam Præposituram, sed quod mirere iterato ab omnibus unanimiter est electus & reassumptus in Præpositum, atque a dicto Jeanne Monacho consuetis solenniis & ceremoniis est confirmatus.*

§. II.

## §. 11.

Promovet disciplinam domesticam & ab Episcopo Augustano obtinet confirmationem donationum a Magistratu Ulmeni factarum.

**D**isciplina Religiosæ amans erat, suisque proprio prævit exemplo, gloriam Dei studuit promovere in omnibus, præsertim strictissime suos Religiosos Canonicos in domo sua, quam inhabitabant clausos tenuit, tam diurno, quam nocturno tempore. Inobedientes Religiosi, qui plurimas vexas ob hunc rigorem ipsi creaverant, præsertim Magister Nicolaus de Halle, & Joannes Schneider divinam vindictam non effugerunt; primus enim ex Monasterio profugus Augustæ misere obiit, alter vero lepra insanabili fuit percussus. Dum ita in reformationem morum incumberet Bertholdus muros etiam non neglexit, & omni diligentia maturationem ædificationis novi Collegii urgebat, a propria experientia edoctus, absque regulari ædificio etiam regularem disciplinam subsistere diu non posse, & satis cito corruere. Ab Episcopo Augustano Eberhardo non tantum confirmationem Juris Patronatus Ecclesiarum in Ballendorff & Holzkirch (quæ in Diæcesi Augustensi sitæ erant) earumque incorporationem ordinaria authoritate roboratam obtinuit, sed insuper cum totius Capituli Cathedralis consensu pluribus aliisque Juribus, obventionibus, fructibus & emolumentis dotatus irrevocabili donatione impetravit addita tamen conditione, ut quotiescumque in posterum Vicarius aliquis dictarum Ecclesiarum decedat vel recedat quovis modo, fructus primi anni dictæ Ecclesiæ, cuius decesserit vel recesserit, & omnia alia Jura Episcopalia sibi & suis Successoribus semper maneant salva, ac si prædictæ Ecclesiæ incorporatae non forent, sine ulla Præpositi & Conventus ac Communitatis oppidi Ullmensis, & quorumcumque contradictione aut rebellione, hasce litteras hic in extenso referre lubet, ex quibus discipliendæ sunt conditions reliquæ, quæ tamen, extinctæ in ambobus hisce Ecclesiis Religione Catholica, jam parum nos urgent.

Eberhardus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Augustensis. Universis & singulis præsentium inspectорibus, & præsertim his quorum interest, aut in futurum intererit, seu quomodolibet interesse poterit, salutem in Christo filio Virginis gloriæ cum subscriptorum notitia ad perpetuam rei memoriam. Exposit inter cætera nostri pastoralis officii debitum, & requirit, ut ea, quæ ad divini cultus augmentum, Monasteriorum reparationem, & regularium in eisdem devote Domino servientium congruam sustentationem pertinet, verbo & opere favorabiliter studeamus promovere. Id enim præcipuum inter nostræ solicitudinis opera esse dignoscitur, ut fidei ortodoxæ devotio ubique nostro cooperationis ministerio augeatur. Sane cum cives communiter oppidi Ullmensis Constantiensis Diæcesis pluribus nunc eiapsis annis Monasterium in Insulis Canonicorum Regularium extra & prope muros prædicti oppidi constitutum, timentes verisimilia damna eis propter querras per maximas tunc imminentes ex eodem Monasterio evenitura, funditus destruxerint, & ad terram projecerint, adeo ut Regulares in eodem tunc Monasterio degentes pluribus ex post annis Monasterio carentes, in dicto oppido quasi alienigenæ existentes Deo in cantandis & legendis horis Canonicis servire minime potuissent. Eapropter præfati cives communiter prædicta attentes ipsis Regularibus pro constructione novi Monasterii intra muros dicti oppidi, & pro eorundem Regularium sustentatione Ecclesiæ Parochiales in Holzkirch & Ballendorff nostræ Augustensis Diæcesis, quarum quidem Ecclesiarum Jus Patronatus ad prædictam Communitatem oppidi Ullmensis pleno Jure pertinebat, cum omnibus suis pertinentiis, redditibus, obventionibus, & fructibus, libere, plenarie, & ex toto quantum in eis est, donaverunt, & resignaverunt, Nobis humiliter supplicantes, quatenus dictæ donationi, & assignationi intuitu Divini cultus sic augmentandi dignaremus gratiosum impertiri assensum.

Fuit etiam pro parte Dilectorum in Christo Berchtoldi Præpositi & totius Conventus dicti Monasterii nobis instantius supplicatum; cum idem Monasterium sine dictarum Ecclesiarum incorporatione eidem facienda construi non possit, cum redditus cæteri dicti Monasterii pro Regularium in eo Deo servientium sustentatione minime sufficient experientia rerum Magistra hoc docente, quatenus dignaremur gratiouse dictæ Ecclesiæ parochiales in Holzkirch & Bailendorff nostræ Au-

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,

S s s s

gusten-

gustensis Diæcesis, quarum jus Patronatus antea pertinebat ad dictam communitatem oppidi Ulmensis, unire, incorporare & annexare dicto Monasterio in Insulis Canonicorum Regularium nunc intra muros dicti oppidi existenti donare cum omnibus earum juribus & pertinentiis universis pro dicti Monasterii reparatione perficienda.

Nos itaque Eberhardus Episcopus præfatus attendentes quod juxta sanctorum Patrum Traditiones justa potentibus non est denegandus assensus, pensantesque devotam intentionem a claudabile propositum prædictæ Communitatis oppidi Ulmensis eosdem in ipsorum voluntate prædicta confovere volentes, nec non & justam & rationi consonam fore petitionem prædictorum Nobis in Christo dilectorum Berchtoldi Præpositi & totius Conventus Monasterii prædicti, provida & matura deliberatione præhabita cum unanimi consensu & voluntate Venerabilium Nobis sincere dilectorum Waltherio Schübel Præpositi, Ulrici Burggravii Decani, totiusque Capituli Ecclesiae nostræ Augustensis per campanæ sonum solito more solemniter convocati, solemnibus insuper tractatibus & deliberationibus rite servatis, quæ in talibus requiruntur, tam de consuetudine, quam de jure, ipsorumque voluntate unanimi, & consensu plenius accedente, & nullo eorum discrepante, singulorumque aliorum, quorum intererat, & præsertim eorum, qui protunc dictas Ecclesiæ parochiales rexerunt, qui easdem libere in nostras manus duxerunt resignandas. Ad laudem & exaltationem Juris Patronatus dictarum Ecclesiæ parochialium in Holzkirch, & Ballendorff per dictam communitatem oppidi Ulmensis factam, ratificamus, & ex certa scientia ac speciali voluntate confirmamus, jam dictas Ecclesiæ parochiales cum omnibus & singulis juribus, obventionibus, fructibus & emolumentis earum prædicto Monasterio in Insulis situato, intra muros dicti oppidi Ulmensis Canonicorum Regularium, vera, pura, & irrevocabili donatione libere donamus, assignavimus, univimus, & incorporavimus, ac Præsentibus omnimodo, via & jure efficacioribus quibus possumus donamus, assignamus, unimus & incorporamus. Ita quod dicti Præpositus & Conventus, seu eorum Successores in antea utantur eisdem parochialibus Ecclesiæ cum eorum fructibus & obventionibus libere & quiete, omni nostra & Successorum nostrorum, & omnium aliorum contradictione penitus semota. Dantes eidem, & ipsorum Successoribus plenariam potestatem fructus, redditus, provenitus, & obventiones dictarum Ecclesiæ parochialium in Holzkirch & in Ballendorff colligendi & recipiendi, & in utilitatem dicti Conventus convertendi, sicut ejus necessitatibus viderint expedire. Hoc tamen salvo, quod semper post recessum vel recessum Vicarii perpetui Ecclesiæ in Holzkirch prædictæ, & etiam Vicarii perpetui Ecclesiæ in Ballendorff præfatæ ad prædictas Ecclesiæ, cum, quando & quoties, vacaverit altera ipsarum ad præsentationem tamen Canonicam Præpositi, qui pro tempore præfuerit dicto Monasterio per nos & nostros Successores idonei Sacerdotes pro Vicariis perpetuis instituantur, quibus tamen volumus, & mandamus de provenientibus & fructibus dictarum Ecclesiæ pro eorum congrua sustentatione præbendas honestas ministrari, de quibus singuli eorum hospitalitatem tenere, jura Papalia, Episcopalia, Archidiaconalia solvere, & alia emergentia, & incumbentia onera ratione dictarum Ecclesiæ evenientia possint & valeant congrue supportare. Volumus tamen, ut quotiescumque in posterum Vicarius aliquis dictarum Ecclesiæ in Holzkirch & Ballendorff decedit, vel recedit quovis modo, fructus primi anni dictæ Ecclesiæ, cujus tunc Vicarius, ut præmittitur, decesserit, vel recesserit, prout etiam in omnibus aliis Ecclesiæ nostræ Diæcesis de jure & consuetudine approbata jus competit ad primos fructus, & omnia alia jura Episcopalia sint nobis & nostris Successoribus salva, ac si prædictæ Ecclesiæ incorporatae non forent, sine prædictorum Præpositi & Conventus ac Communitatis oppidi Ulmensis, & quorumcumque aliorum contradictione & rebellione. Volumus etiam & ordinamus ac præsentibus definimus, quod omnia & singula præmissa rata permaneant, & inviolata imposterum conserventur, & robur & firmitatem perpetuam obtineant omnibus modis, formis & conditionibus, quibus ex nunc & in futurum melius valere poterunt & debebunt.

In quorum omnium & singulorum evidentiam & testimonium & debitam roboris firmitatem præseutes litieras nostri ec Capituli nostri Sigillorum appensione fecimus muniri. Nos itaque Walterus Schubel Præpositus, Ulricus Burggravii Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Augustensis recognoscimus per præsentes & publice profitemur, supra dictam donationem, unionem & incorporationem factam de Ecclesiæ parochialibus in Holzkirch & Ballendorff, ac omnia & singula

singula in præsenti littera conscripta, de unanimi consensu & voluntate nostra pro-cessisse & fuisse facta. Ideo Sigillum nostri Capituli in testimonium præmissorum omnium ad Sigillum Domini nostri Episcopi Augustensis fecimus appendi, Nobis Capitulo, & Successoribus nostris absque omni præjudicio & damno. Datum Augustæ VIII. Calend. Julij Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexto.

Meritissimus hic Augustensium Episcopus quam merito inter insigniores benefactores Collegii nostri grata collocabit Posteritas, ex illustri Comitum de Kirchberg stemmate natus est. Episcopus Augustana Ecclesiæ designabatur anno 1404. præfuit annis sex, vere semper Dilingæ habitans. Obiit anno 1411. & sepultus est in Wiblingensi Cœnobio Ulmæ vicino. Huius Antistitis affectum constantem illustri facto demeruit Magistratus Ulmensis, quod Carolus Stengelius ex Cl. Sinderti Chronico narrat rerum August. P. II. cap. LVI. numero secundo hisce verbis, Is (Eberhardus) Episcopus mox post Electionem voluit ut pulsata campana vulgariter Sturmglögg, omnes Augustenses majores & minores in simul convenirent, ei fidelitatem cum Juramento facerent. dicens Antecessoribus etiam suis ita factum & præstitum fuisse; quod Senatus denegavit dicens: antea hoc nunquam factum fuisse. At Episcopus recessit ad Dilingam, & Feudatarii, qui ab eo feuda accipere volebant, cogebantur ipsum in Dilingen adire pro feudis, & ibidem ei fidelitatem cum Juramento præstare. Ulmenses autem se interposuerunt & Episcopum cum Augustensibus ad concordiam reduxerunt subscripta forma: Feria tertia post Dedicationem SS. Udalrici & Afræ (seu post festum S. Georgii) venit Episcopus Eberhardus ad Augustam cumque de domo habitationis incepisset egredi, incep-  
tus est etiam pulsus campanæ Sturmglögg, & tamdiu pulsata est, quoque do-  
mum senatoriam intravit, ibi Augustensis Senatus solitam promissionem & fidelitatem sine Juramento fecerunt, & ipse eis. Tunc temporis Magistri civium erant Vdalricus Kenzelman & Ludovicus Hoclin.

### §. III.

#### Confirmatio prædictarum donationum a Romano Pontifice impetrata.

**R**obur confirmationis Apostolicæ ut impetraret Bertholdus supplicavit Romano Pontifici Alexandro Quinto, quem jam sibi propitium expertus erat, cum accusaretur de crimine Simoniæ, ut supra audivimus. Favorem illius etiam hac vice attraxit ubi suoque Collegio; licet nonnihil serius, anno enim primum 1409. Apostolicis hisce litteris est consolatus. Directæ illæ sunt ad Reverendissimum & Venerabilem Waldseensis Canonie Præpositum Jacobum, qui secundæ ilius Elec-  
tioni ac Confirmationi ante quadrigennium præsens erat. Nec destitit hic Wald-  
seensem Canonicorum Antistes opportuna occasione publico Instrumento Pontifi-  
cium Breve illis, quorum intererat notum facere, ac debita cum Reverentia Com-  
missionem Apostolicam exequi. Habe sis iterum Clementissimum Alexandri Re-  
scriptum h c a capite usque ad calcem ac de verbo ad verbum

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Præ-  
posito Monasterii in Walse per Præpositum soliti gubernari, Constantiensis Diœ-  
cesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Humilibus supplicum votis, illis  
præsertim per quæ Monasteriorum & piorum locorum, ac Religiosarum Personarum  
commoditatibus consulitur libenter annuimus & volumus favorabiles inveniri.  
Sane petitio dilectorum filiorum Præpositi & Conventus Monasterii in Insu-  
lis oppidi Ulmensis per Præpositum soliti gubernari, Ordinis sancti Augustini  
Constantiensis Diœcesis Nobis exhibita continebat, quod olim Venerabilis Frater  
noster Eberhardus Episcopus Augustensis provide considerans, quod dudum di-  
lecti filii, Universitas dicti oppidi propter maximas & sevissimas quercas ipsis tunc  
imminentes, & ne antiquo Monasterio in Insulis extra muros dicti oppidi, Ordini  
& Diœcesis prædictorum in quo prædicti Præpositus & Conventus tunc tempo-  
ris residebant, & de illo postea ad ipsum novum Monasterium canonice translati  
fuerant per hostes Universitatis hujusmodi oppido præfato forsitan gravia  
inferrentur, prædictum antiquum Monasterium diruerunt, & ex tunc præfatum  
novum Monasterium inceptum fuit ædificari opere non modicum sumptuoso, ad  
cujus perfectionem propriæ non sufficerent prædicti novi Monasterii facultates,

quod

S s s s 2

quod etiam pia considerantes hujusmodi Universitas in relevamen onerum eisdem Præposito & Conventui incumbentium, & etiam pro uberiori sustentatione ipsorum, qui annuis redditibus tunc non abundant, prout nec abundant, Jus Patronatus in Holzkirche & Ballendorff Augustensis Diæcesis parochialium Ecclesiæ quod ad hujusmodi Vniverstatem tunc pertinebat, eidem novo Monasterio libere donaverant, & volens idem Episcopus etiam præfatis Præposito & Conventui de alicujus subventionis auxilio providere dilectorum filiorum Rectorum tunc earundem Ecclesiæ, & Capituli Augustensis accedente consensu prædictas Ecclesiæ, quæ per liberam dimissionem præfatorum tunc Rectorum per eos de illis quas tunc habebant extra Romanam Curiam sponte factam vacantes, quarum viginti quinque cum omnibus Juribus & pertinentiis suis præfato novo Monasterio cujus sexaginta Marcharum argenti fructus, redditus & proventus secundum communem existimationem, valorem annum, ut ipsi Præpositus & Conventus asserunt non excedunt, in perpetuum auctoritate ordinaria incorporavit, annexuit, & univit, & in singulis ipsarum Ecclesiæ congrua portionem de hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsarum Ecclesiæ reservavit pro singulis perpetuis Vicariis inibi instituendis, de quibus Vicariis ipsi decenter sustentari, Episcopalia Jure solvere, & alia incumbentia sibi onera possent congrue supportare, prædictique Præpositus & Conventus corporalem possessionem earundem Ecclesiæ taliter vacantium, ut præfertur, vigore incorporationis, annexionis, & unionis prædictarum, auctoritate propria apprehendentes illas ex tunc tenuerunt & tenent quiete & in usus proprios eorundem. Quare prædicti Præpositus & Conventus Nobis humiliter supplicarunt, ut incorporationi, annexioni, & unioni prædictis pro earum subsistentia firmiori, robur Apostolice Confirmationis adiçere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita super quo tuam conscientiam oneramus, incorporationem, annexionem & unionem prædictas & quæcumque inde secuta, auctoritate Apostolica confirmare pro cures, supplendo omnes defectus, si qui intervenerunt in eisdem. Data Bononiæ IX. Kalendas Febr. Pontificatus nostri Anno primo.

Sub Pontificatu Joannis XXIII. omnium Privilegiorum confirmationem obtinuit, cuius Apostolicas litteras hic addo:

### Confirmatio Apostolica Joannis XXIII. omnium Privilegiorum Monasterii nostri & quomodo ipse Nos, res, bona nostra sub protectione Sedis Apostolice recepit.

Johannes Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii in Wengen in oppido Ulmensi per Præpositum soliti gubernari Ordinis sancti Augustini Constantiensis Dioecesis salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum tum rigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus cognito concurrentes assensu personas vestras & Monasterium vestrum prædictum in quo divino estis obsequio mancipati & alia bona vestra quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum justo modo præstante Domino poteritis adipisci sub S. Petri protectionem suscipimus atque nostram, nec non omnes libertates, immunitates a præcessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per Privilegia vel alias indulgentias Vobis & eidem vestro Monasterio concessas, ac libertates & exemptiones sæcularium exactiōnū a Regibus, Principibus vel aliis etiam fidelibus rationabiliter vobis & vestro Monasterio auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc intentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Bononiæ septimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

S. V.

## §. IV.

Reliqua acta Bertholdi & Manuscripti Codices ab ipso procurati.

Præter rem œconomicam optime administratam totam fere novam Monasterii structuram ad perfectionem promovit. Ecclesiam perduxit ad fastigium, ei-que ambitum, chorum, dormitorium, ac Refectorium, adjunxit, ac necessaria supellecile instruxit. Sacram vero supellecilem pariter auxit. Chorum scannis ac pluteis exornavit, ac pro summo altari pretiosam comparavit tabulam. Ecclesiam insuper animavit magni pretii Organo, quod egregium opus laudat Reverendissimus Joannes noster, quod tamen suis temporibus ex negligentia & incuria jam penitus destrutum, nullisque amplius usibus aptum fuit remotum. Vendidit quidem Ulmensibus inferius candidatorum (untere Bleich) contra vero maiores ac minores decimas auf dem Geer a Thoma Remio, & Joanne Walthero soluto pretio anno 1413. Monasterio vendicavit. Sub perpetuo censu sylvam den Geer dictam communitati in Jungingea locavit, ac alia multa præstitic pro Monasterii sui utilitate, quæ animi sui magnitudinem, ac prudentem Patrem familias apud posteros merito commendant. Sedem etiam Musis exstruxit, primusque fuit, qui litterariam supellecilem colligeret. Multo pretio præstantissimos quosdam in pergameno manuscriptos codices comparavit, vide licet Corpus Bibliorum in duobus Voluminibus; Librum Explanationum, seu Commentarium Hieronymi super Isaiam. Textum Apocalipsis in eamque Haymonis Commentarium. Vitas quorundam Patrum Ægyptiorum. Moralia Beati Gregorii in Jobum tribus Voluminibus comprehensa. Duas partes Epistolarum & Evangeliorum Dominicalium Magistri Joannis de Abbatis Villa, quarum una pars fuit amissa. Vocabularium Biblicum. Sextum Librum Decretalium. Legendas seu Vitas aliquot Patrum. Quatuor libros Sententiarum. Expositionem Umberti super Regulam S. Augustini, cum tractatu de Renuntiatione Canonicorum Regularium. Horologium æte na Sapientæ scriptum a Venerabili Heinrico Amando Susone Ordinis S. Dominici, qui Ulma Sanctitate floruit. ac tumulo fuit illatus. Antiphonarium partem scilicet Hyemalem de tempore & Æstivalem cum notis antiquis. Librum Canonicum, Hymnorum, Canticorum, & Collectarum. Libri hi omnes sunt membranacei.

Otii Bertholdus osor fuit maximus; quare residuas ab occupationibus Officii sui horas describendis propria manu libris utilissime consecravit, quos inter tractatus super Capitulum firmiter. Tractatus de conditione humanæ miseriae. Quadragesimale Jacobi de Voragine. Ejusdem Auctoris partem æstivalem sermonum Dominicalium. In uno horum Codicum sequentem notulam invenio: *per manus Bertholdi Becken alias Neger, de Ulma Constantiensis Diaœesis, qui fuit socius tunc temporis in Hosa Domini Episcopi Chiemensis, & qui postea factus est Præpositus in Insulis. Orate pro eo. Anno 1421.* Ex his eruimus Bertholdum eo tempore, quo destrutum erat Insulare Cœnobium aliquamdiu vixisse in Insula Chiemensis Episcopi, atque durante hoc suo exilio tempus libris scribendis impendisse. Anno 1427. postquam in manus sui Conventus jam ætate gravis, ac ut solius animæ suæ saluti vacare posset. Præposituram suam est jam ante biennium, anno scilicet 1425. resignasset, Deo Creatori suo animam reddidit, corpus terræ & ferribus, pro suis laboribus ab æterno Numine præmia perpetua recepturus. In medio Chori sepultus est. cui Bruschius, minime contradicente pñsteritate, hoc Elogium posuit, *quod Vir gravis & strenuus ac Monasterii sui fuerit absolutor, & Illustrator egregius.*

## §. V.

De Udalrico I. Bertholdi Successore.

Vdalricus I. Strobelius, alias Mayer dictus, Patriam habuit Langenoviam sive Langenau in dictione Ulmensium sitam. Sedecimus fuit Præpositus, ac in civitate tertius. Resignante Bertholdo anno 1425. convocatis vigesimo secundo Junii hora ejusdem diei tertia capitularibus, tot fere sententiae illorum erant, quot capita, vocem in hac electione habuere Conradus Rütendorff, Udalricus Strobel, Magister Nicolaus de Halle, Paulus Koplervel Koprel, Joannes de Geislingen, Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. T t t Joan.

Joannes Zwirler omnes Presbyteri, Conradus de Plintheim Diaconus, Conradus Kuzerdorff Joannes Zwirler, & Magister Nicolaus de Halle elegerunt in Præpositum Vdalricum Strobel. Vdalricus Strobel elegit Nicolaum de Halle, Paulus Kopler & Conradus de Blintheim elegerunt Joannem de Geislingen. Joannes de Geislingen & Conradus Rauch elegerunt Conradum Kuzendorff, & prævaluuit tandem pluralitate votorum Vdalricus Strobel. Vir fuit magni spiritus & devotionis eximiæ, omni felle amaritudinis & malitiæ carens media semper via virtutis incessit non ad dexteram, nec ad sinistram declinans. Plura adversa sustinuit. Locetæ non semel ab inimicis ipsi fuerunt decipulæ occultæ, non semel manifestum incurrit vita periculum. Omnibus tamen hisce adversitatibus Superior, fuit vir sancte simplex & purus. Depingi curavit anno 1440. *Choream Desundoru n.* Vendidit quædam prædia in Eisenloch, quorum Advocatia pertinebat ad Ulmenenses atque ut libere vendere posset commutavit prius cum Ulmensibus Advocatiam aliam. Hisce pecuniis quartam partem Decimarum emit in Berenstatt Nobilibus de Brunstatt pro mille & quinquaginta florenis. Comparavit novam aream ab Ulmensibus, in qua domum pro familia Monasterii construxit. Curiam S. Mauritii germano suo fratri cum omnibus Decimis locavit. Novum Psalterium Majus cum Hymnario & duas partes Antiphonarii unam de tempore, alteram de Sanctis, in membrane eleganter scriptas procuravit pro Choro. Multis præterea ædificiis Cœnobium illustravit. Gruberus in *Theatro virtutis canonicae* ad diem vigesimum Februarii Vdalricum Strobelum victorem sui gloriosum, virum religiosum, & divini Cultus zelatorem celebrat. Nec latuit tanta Vdalrici nostri virtus Patres in Concilio Basileensi congregatos, qui anno 1434. sequenti Diplomate illi demandarunt reformationem Monasterii Söflingenensis.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto congregata universalem Ecclesiam repræsentans dilecto Ecclesiæ Filio Vdalrico Præposito Monasterii in Insulis oppidi Ulmensis per Præpositum soliti gubernari Constantiensis Dicēcēsis salutem & Omnipotentis Dei Benedictionem. Dum incumbentia nobis onera quibus assidue premimur, intenta consideratione pensamus, in eo potissimum nostra versatur intentio, quod Personæ Professionis Ecclesiasticæ, præsertim, quas reddit sexus fragilis imbecilles, altissimo, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, suspicione semota qualibet, reddant vota sua. Sane nuper fide digna relatione didicimus, quod nonnulli fratres, Ordinis fratum minorum sub colore & typo visitationis officii & aliis conficiis suasionibus Monasterium in Söflingen Ordinis S. Claræ prope oppidum Ulmæ Constantiensis frequentare, etiam copioso Juvenum numero intrare, diutius ibi morari &c. non formidant in grave dictæ Religionis opprobrium &c. Nos igitur detestabili Couversationi prædictæ, remediis opportunis occurrere cupientes, ne dicti fratres occasionem confingant de cætero similia perpetrandi, & ut Abbatissa & Conventus ipsius Monasterii mundi vanitate relicta per Religionis observantiam se cælesti Sponso arctius adstringant, discretioni tuæ, de cuius maturitate, providentia, & circumspetione sollicita plenam & firmam in Domino fiduciam obtinemus, per hæc scripta committimus & mandamus, si est ita assumpto tecum dilecto Ecclesiæ filio Rectore Parochialis Ecclesiæ dicti oppidi, seu alio quovis Ecclesiastico & virtuoso, solum Deum habendo præ oculis Monasterium ipsum authoritate nostra personaliter visites, ipsisque fratribus, & quibusvis aliis sub excommunicationis pœna, quam incurvant ipso facto, nec non in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione Divini judicij statuendo & præcipiendo mandes & ordines ne dictum Monasterium, seu ejus clausuras, præterquam tempore visitationis legitimæ, quod Visitator dunt taxat cum fratre discreto non suspecto, & in serio constituto, si necessitas urgeat, intrare possit, perpetuis futuris temporibus intrare, morari inibi, & infra septa hujus pernoctare præsumant, & alias in dicto Monasterio, & ejus personis corrigas, punias, instituas, reformes, evellas, destruas, ædifices, & plantes, prout secundum Deum status Monasterii, & personarum in eo degentium, & Juris dispositionem videris expedire. Et nihilominus ut ipsum Monasterium in temporalibus neglectum ad statum debitum reducatur, dilectos filios Magistros civium & universitatem dicti oppidi, qui ad dictum Monasterium, ut accepimus, singularem gerunt devotionis affectum, requiras & obsecreris per viscera Misericordiæ Dei in remissionem peccaminum ut per se vel deputatos suos discretos oppidanos ratione de bonis temporalibus dicti Monasterii per Abbatissam & Conventum prædictum sub eisdem pœnis facienda interesse, & recuperationi alienatorum & distractorum ac reductioni ad proprietatem Monasterii auxilium præstare velint.

&amp;

& operam, Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante, si ejusdem Ordinibus a Sede Apostolica sit indulsum, quod Personæ ipsorum Ordinum ad judicium trahi, aut suspendi, seu excommunicari, seu ipse & ipsorum Ordinum loca interdici non possint, per litteras non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis dictæ Sedis Indulgentiis, Privilegiis, & indultis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta nostræ commissionis Explicatio in hac parte valeat, quomodolibet impediri, quæquoad hoc illis nolumus aliquatenus suffragari. Dat, Basileæ III. Ideas Octobris anno a Nativitate Domini millesimo quadragesimo tricesimo quarto.

De hac Reformatione Söflingani Monasterii inter veteres nostras chartas nihil adnotatum invenio, nec dubito Udalricum subtraxisse humeros molestæ huic Provinciæ, ac illam humillime fuisse deprecatum apud congregatos Basileæ Patres. Certam, ut haec voces, sicut est, satis indicant, notitiam sacra Synodus, de dissoluta Monialium Söflingenorum vivendi ratione nondum habuisse videtur. Itaque an delatio vera, ac falsa fuerit, nec affirmare nec negare ausim. Si ob fragilitatem humanam a via perfectionis non nihil aberrarunt Moniales istæ, dolendum id est, verum mox postea gratiæ quoque immortali Deo immortales dicendæ erant, & hodie dum, quia in viam & semitam, si inde deflexerint, rectam illas reduxit. Floret hodie dum Söflinganum hocce Cœnobium, & vere hortus conclusus est: ) Reverendissima Abbatissa cum reliquis filiabus suis Seraphicis arctissimam clausuram habent, ac observant, neminem vident, videntur a nemine, a carnis per totum annum abstinenter, inter diei & noctis vigilias laudes Dei canunt pauperum gregem quotidie alunt, ac vita Sanctimonia omnem admirationem, ac estimationem totius Sueviæ sibi conciliant. Patres Spirituales, ac ad sanctiorem vitam duces illis sunt ex sanctissimo Setaphico Franciscanorum stricti observ. Ordine, & qui illarum conscientias moderatur, semper viri sunt insignes, ætate graves, scientia exculti in ordine emeriti, ac semper in animarum cura per multos annos prius exercitati. Etsi autem, ut dictum est, Sanctimoniales istæ arctissimam servent clausuram, nunquam tamen desunt pueræ nobiles, ac bene moratae virginis ex dissitis etiam Regionibus, quæ in hocce Cœnobia casto connubio cœlesti animarum sposo Iesu Christo, quoties vacat locus, copulari magnō numero ac desiderio cupiunt, plerumque enim Seraphicarum filiarum numerus usque ad Septuagesimum ascendit, nec rarae, aut paucæ inter illas fuere, quæ in odore Sanctitatis ad cœlestes Agni nuptias avolarunt ex hoc Seculo.

Udalricus noster piissime in Domino obdormivit anno 1445. octava die Mensis Maij in medio Chori sepultus.

## PERIODUS II.

### C A P U T III.

#### De Conrado III. Præposito XVII.

##### §. I.

Conradi Electio solemniter publicata.

**I**ustis lachrimis deplorarunt Wengenses Canonici mortem meritissimi sui Præfulis Vdalriei; detergit tamen illas uova Conradi III. Electio. Fuit hic ex nobilibus & equestri Prosapia de Blindthaim, & Lichtenstein. Pater enim ex Nobilibus de Blindthaim fuit nomine Joannes, Mater vero Anna ex Liechtensteinensis Nobilibus orta est, quod ex veteris Monumenti fragmento compertum habeo. Conrad, verba illius sunt, *Ein man von edlen Eltern gebohren, sein Vatter ware Johan von Blindthaim, sein Mutter Anna von Liechtenstein.* Hoc ipsum testatur Historia Imperialis Canonice Reggenburgensis p. 2. pag. 63. vir fuit doctus, & artium liberalium

T t t t 2

um

um Baccalaureus. Ad liberam Electionem juxta consuetudinem hactenus observata processerunt Anno 1445. in die Aparitionis S. Michaelis Wengenses Canonicci, ac unanimi calculo conspirarunt in Conradum, cui prudentia & solertia tam in spiritualibus quam in temporalibus extra dubium erat posita. Facta fuit hæc Elec<sup>tio</sup> tempore, quo Abbatialem Mytram gessit in Augia divate Fridericus L. B. de Wartenberg dictus de Wildenstein, prius Conventualis ad S. Blasium in sylva Hercinia ac anno 1428. præsidere cœpit, cuius alter audiebat Pirminius & secundarius Fundator. Invenit ille cœnobium suum fere ad extremam inopiam redatum. Ad regularem observantiam reducere laboravit Monachos suos, fuit Doctorum virorum estimator: eruditos viros apud se aluit: & Bibliothecam bonis libris præstantem colligere cœpit. Interfuit etiam Concilio Basileensi, ubi singulis diebus Sapientiae auditorium ingressus Doctor audivit. Cum sub initium Electionis suæ in suo Cœnobia tantum duos Barones Heinricum Comitem de Lupfen & Joannem Baronem de Roseneck, qui tamen ambo reliqua Religionis Professione discedebant, conatus est Conventum denuo suum augere ex Nobilibus, ut harum assumptione mederetur ingruenti paupertati. Illi autem minime bene convernerat cum Ulmensibus, identiter enim ab anno 1433. coram Concilio Basileensi ad Censum suorum Vlmæ amissorum restitutionem vindicias instituit, Canonicci wengenses Friderico Electionem de Conrado factam juxta pacificam hactenus & semper observatam consuetudinem debito modo insinuarunt, & Neoelectum eidem per litteras præsentarunt. Fridericus, cui Electi Persona minime displicuit, ut omnia secundum Ordinem fierent publico instrumento Valvis Ecclesiæ nostræ per Notarium affixo factam Electionem solenniter pronuntiari, declarari ac notificari fecit omnibus, qui interesse habebant, aut quovis modo eidem se opponere possent vel deberent. Instrumentum fuit sequenti sub tenore ac forma conceptum

Fridericus Dei Gratia Abbas Monasterii Augiæ Majoris Ordinis S. Benedicti Sedi Apostolicæ immediate subjecti Coëstantiensis Diæcesis, Univeris & singulis Decanis, Camerariis, Ecclesiarumque Parochialium Rectoribus, Vicariis perpetuis Plebanis, Viceplebanis & loca tenentibus eorundem, ceterisque Presbyteris & Sacerdotibus per civitates & Diæcesim Constantiensem ubilibet constitutis, saltem nostræ Jurisdictionis subjectis, ad quos præsentes nostræ pervenerint litteræ salutem in Domino & præsentia exequi bona fide. Cum Religiosi & devoti viri fratres Conradus de Blintheim Artium Liberalium Bacalaureus, Matheus Zimmerman, Georgius Leschenbrand Presbyteri, Heinrichus Tischinger Diaconus, Wilhelmus Burgermeister de Tytzenoe & Ulricus Kraft Acoliti Conventuales Monasterii ad Insulas in opido Ullmensi Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium per Præpositum soliti gubernari dictæ Diæcessis & Conventus ipsius Monasterii pro nunc faciem representantes ipsius Monasterii Præpositura per mortem quondam Ulrici novissimi ipsius Monasterii Præpositi vacante, ne ipsorum Monasterium ut sic Pastoris solatio destitutum sua diutius deploraret incommoda ad Electionem futuri Præpositi & Pastoris ipsorum & dicti Monasterii eorum certis die & hora vocatis omnibus & singulis hujusmodi Electioni interesse de Jure, vel consuetudine volentibus, & debentibus capitulariter congregati se repperunt, & habitis ac servatis inter se nonnullis tractatibus tandem via scrutinii ad hujusmodi futuram Præpositi eorum electionem procedentes, certos scrutatores unanimi consensu deputarunt & locarunt dantes eisdem plenam & liberam facultatem Præpositum & Pastorem futurum nominandi, eligendi, & publicandi. Deinde omnem scrutandi & alia in- & extra hæc servandi, & faciendi per ipsos scrutatores gratuitè assumptos, & servatis per eos, ut habeant in mandatis, servandis, tandem maiorem & saniorem partem dicti Conventus sua vota in Religiosum & devotum virum fratrem Conradum de Blintheim dicti Monasterii Monachum professum in Sacerdotio & legitima ætate constitutum ac de legitimo Thoro procreatum virum utique probum & honestum in Spiritualibus & temporibus providum & circumspectum direxisse invenientes eundem fratrem Conradum de Blintheim in ipsorum & dicti Monasterii futurum Præpositum nominaverunt, elegerunt, & ipsis omnibus cum Solemnitatibus, & cautelis debitibus, & consuetatis publicarunt, ac alia fecerunt propter hæc, aliaque in litteris sive Decreti Electionis Instrumento, per discretum Johannem Mynner Sacra Imperiali Auctoritate publicum Notarium desuper confessio nomineque & signis suis solitis ad nostram in hac parte ordinariam auctoritatem sive consuetudinariam pertinet & spectat, dignaremur, pro parte ipsius Electi exti-

exitit devote & humiliter supplicatum. Nos vero juxta doctrinam Apostoli nemini cito manum imponere sed quemlibet in suo volentes jure conservare citationem in forma proclamationis sive edicti publici ad dictum Monasterium Insulis, sive alibi ubi expedierit emittendam fore decrevimus, & emisimus per presentes. Quod circa vobis omnibus & singulis praedictis in virtute sacrae obedientiae & sub pena Excommunicationis latæ sententiæ canonica, tantum trium dierum monitione prævia districtæ præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Monasterium in Insulis accedentes, vel ubi propterea fuit accedendum, & ibidem omnes & singulos quorum interest, vel qui sua, quovis modo crediderint interesse, vel qui se dictæ Electioni aut confirmationi petitæ opponere voluerint peremptorie citetis & vocetis, quos & nos presentibus sic citamus, & vocamus ut quinta decima die post publicationem præsentium juridica hora proxime coram nobis in aula nostra Augie Majoris compareant ad ostendendam causam seu causas suæ oppositionis & ad dicendum proponendum, vel allegandum quidquid contra Electionem, Electionem, & confirmationem petitam per vos faciendam dicere, proponere, vel allegare voluerint & potuerint alioquin ipsorum citatorum & vocatorum absentia, seu contumacia in aliquo non obstante ad præfati Electi, Electionis, & aliarum præmissarum, & alias prout justum fuerit & ordo dictaverit ratam tanquam ad illius cuius intercessit, confirmationem procedemus. Diem executionis & quidquid vobis in præmissis occurrit nobis per vestra scripta aut instrumentum publicum præsens a tergo notificare non prætermittat. Datum Augie in aula nostra abbatiali sub anno Domini Millesimo quadragesimo quinto Mensis Maij die vicesima quinta indictione octava sub nostri Sigilli Abbatialis appensione.

Leonardi.

(L.S.)

In Jesu Nomine amen. Per hoc præsens publicum documentum cunctis ipsum intuentibus clare ac luculenter quod sub anno a Nativitate Domini Millesimo quadragesimo quinto indictione octava die solis penultima Mensis Maij hora primarum, vel quasi sacrosancta generali Synodo Basiliensi durante ad obedientum mandatis & requisitioni sereni Principis ac Reverendi in Christo P. & Domini Domini Friderici Dei Gratia Abbatis Monasterii Augie Majoris Ordinis S. Benedicti Sedi Apostolicæ immediate subjecti, Constantiensis Dicæsis Ego Notarius publicus subscriptus in præsentia honorabilium virorum & Dominorum videlicet Johannis Zuntheim - - - - - Altaristarum in Parochiali Ecclesia Ulmensi Presbyterorum dictæ Dicæsis Constantiensis testium ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum proclamationem a tergo præsentis Instrumenti conscriptam animo & intentione eandem proclamationem exequendi intimandi, & publicandi, valvis Ecclesiæ Monasterii in Insulis Ordinis Can. Reg. S. Augustini in Ulma Imperiali fidelium multitudine inibi ad divina congregata ferreis claviculis affixam, & ibidem per sufficiens temporis spatium ut sic affixam derelinquens, interim prætereuntibus & inexistentibus utriusque sexus hominibus materna lingua, alta & intelligibili voce pronuntiando declarando, insinuando, & proclamando juxta ipsius formam & tenorem pronuntiavi, declaravi, notificavi, & executus fui super qua quidem re proclamationis seu notificationis sic ut jam tactum est, facta & executa, nemine in contrarium aliquid dicente, vel se quovis modo opponere volente per venerabilem P. Dominum Conradum de Blenheim attium Baccalaurium in Präpositum supra dicti Monasterii ad Insulas electum ego Notarius publicus subscriptus sum debite requisitus ad dandum & confidendum nec non ad tergum ejusdem proclamationis conscribendum publicum documentum. Acta sunt hæc publicationibus quibus supra præsentibus testibus ante dictis &c.

(L.S.)

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

U u u u

Ego

Ego itaque Johannes Münner de Titzenbach dictæ Diœcesis Constantiensis publicus Imperiali auctoritate Notarius nec non curiae Constantiensis causarum Matrimonialium Commissarius generalis in Ulma quia hujusmodi proclamationis mandatum a tergo præsentis conscripti in præsentia testium prædictorum modo præmisso executus fui, ideo hoc præsens publicum instrumentum ad tergum ipsius proclamationis manu propria scripsi signoque & nomine mei solitis signavi rogatus atque requisitus in fidem robur & evidens testimonium singulorum & omnium præmissorum.

## §. II.

## Confirmatio Electionis recusatur ab Augiensi Abate.

**N**on obstante, quod post publicationem Electionis nemo comparuerit, qui se illi vel opponeret vel contradicere vellet; nihilominus confirmationis beneficium Abbas Fridericus imperdiri Conrado non sine fermento Nobilium, Neo-electo faventium, recusabat. Cum saepius illi sese præsentasset Conradus, semperque repulsam ferret a concilio Basileensi (quod personaliter accessit, cuique aliquamdiu etiam interfuit) impetravit, ut impertiendæ confirmationis negotium in hoc justitiae recusationis articulo alteri Abbati in Suevia commiteretur. Impetravit, quod voluit, & Reverendissimo Abbati Ochsenhusano Michaeli, insignis prudentiae ac discretionis laude tunc celebri, auctoritate sacri Concilii commissio data est, ad quem sequentes bullatae litteræ sunt directæ:

Sacrolancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu sancto humiliter congregata universalem Ecclesiam representans, dilecto Ecclesiæ filio Abbatii Monasterii in Ochsenhusen Constantiensis Diœcesis salutem & Omnipotentis Dei benedictionem. Ad Ecclesiarum & Monasteriorum quorumlibet regimen de personis idoneis rite factas electiones sincera nostra cupimus opitulatione muniri, ut ille debitibus non destituantur effectibus, & tanto personis ipsis accuratius provideri, quanto magis eas de Religionis zelo, vitæ ac morum honestate aliisque probitatis & virtutum meritis, noverimus multipliciter commendari. Exhibita siquidem nobis auper pro parte dilecti Ecclesiæ filii Conradi de Blinthaim Canonici Monasterii ad Insulas oppidi Ulmensis, Ordinis sancti Augustini Constantiensis Diœcesis petitio continebat, quod pridem Præpositura dicti Monasterii per Præpositum gubernari soliti, quam quondam Vlricus ipsis Monasterii ultimus Præpositus dum viveret obtinebat, per obitum dicti Vlrici qui extra Romanam curiam diem suum clausit extreum vacante, dilecti Ecclesiæ filii, Canonici dicti Monasterii ad quod illius Præpositi Electio pro tempore pertinere dignoscitur, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt Electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa, ut est moris, convenientes in unum dictum Conradum Ordinem præfatum in ipso Monasterio expreſſe professum & alias idoneum in eorum & memorati Monasterii Præpositum per viam Scrutinii concorditer elegerunt; ipseque Conradus Electioni hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit in his a jure temporibus statutis & aliis servandis rite servatis. Quare pro parte ipsius afferentis quod ipse a dilecto Ecclesiæ filio Friderico Abbe Monasterii Augiæ Majoris Ord. S. Benedicti dictæ Diœcesis cum ad Abbatem pro tempore existentem Augiæ majoris confirmatio Electionis Præpositi ad Insulas Monasteriorum hujusmodi de antiqua & approbata, ac haec tenus pacifice observata consuetudine pertineat electionem prædictam debita cum instantia petiit confirmari, licet idem Abbas id facere non curaverit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem Electioni pro illius subsistentia firmiori nostra confirmationis robur adjicere sibique de dicta Præpositura providere de benignitate universalis Ecclesiæ dignarumur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes ac volentes præfatum Conradum, qui ut afferit de militari genere procreatus, & in artibus Bacalarius existit, apud nos de nobilitate generis, Religionis zelo, vitæ ac morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favoribus prosequi gratiosis, discretioni tuae per hæc scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi de electione & electi hujusmodi meritis & idoneitate auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem eandem electionem ipsam de persona idonea canonice celebratam & factam inveneris, eam auctoritate præfata approbes, & confimes, & in super dictam

Præ-

Præposituram cuius fructus, redditus & proventus quinquaginta Marcharum argenti secundum eandem existimationem valorem annum, ut idem Conradus, non excedunt sive ut præmittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona, sive per constitutionem felicis recordationis, Joannis Papæ quæ incipit, execrabilis, aut per asecutionem alterius beneficii Ecclesiastici incompatibilis quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilia ad sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservata extat, & super ea inter aliquos lis cuius statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium non sit in ea alicui specialiter jus quæsitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis dicto Conrado si illum per diligentem examinationem ad hoc idoneum esse repereris, super quibus tuam conscientiam oneramus auctoritate nostra præfata conferas & assignes, inducens per te vel per alium seu alias eundem Conradum vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Præposituræ, juriumque & pertinentiarum prædictarum, & defendens inductum amoto quilibet exinde illicito dententore, ac faciens ipsum Conradum ad Præposituram hujusmodi ut est moris, admitti sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus juribus & obvenientiis universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus piæ memorie Bonifaciis PP. VIII. ac aliis Apostolicis constitutionibus nec non statutis & consuetudinibus Monasteriorum, Ordinum prædictorum & juramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque, aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Præposituris hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ sedis vel Legatorum ejus litteras impetraverit etiamsi per eas ad inhibitōnem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus præfatum Conradum in asecutione dictæ, præposituræ volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad asecutionem Præpositurarum hujusmodi aut beneficiorum aliorum præjudicium generari. Seu si venerabili Episcopo Constantiensi & dilectis Ecclesiæ filiis Capitulo dicti Monasterii ad Insulas vel quibusvis aliis communiter vel divisi ab eadem sede, vel alias indulsum existat, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Præposituris hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuique toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim si dictus Conradus ad hoc repertus fuerit idoneus ut perfertur exinde perinde viritum decernimus & inane, si securus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac si die data præsentium eidem Conrado ad hoc idoneo reperto de dicta Præpositura cum interpositione decreti provideri mandavissimus. Datum Basileæ XV. Kal. Octobr. anno a Nativitate Domini Millesimo quadragesimo quinto.

Reverendissimus Abbas Ochsehusanus postquam rite & legaliter de juribus nostri Collegii, obligatione & injusta renitentia Augiensis Præsulis coram Notario & testibus fuisse informatus, ad executionem Bullæ sacri Concilii processit ac anno 1445. Indictione octava, die Sabathi, Nona Mensis Octobris & Conradum consueta solennitate confirmavit, confecto desuper sub publici Notarii Cæsarei fide ac sigillo publico instrumento. Appenso etiam præfati Domini Abbatis & Commissarii præsentibus honorabilibus & discretis viris Domino Nicolao Stedelin Presbytero, Plebano in Winterieden & Hainrico Mahler de Riedlingen Laico Augustensis & Constantiensis Diæcessis testibus ad præmissa specialiter vocatis & rogatis. Notarius Cæsareus, qui instrumentum executionis subscripsit ac confecit fuerat Andreas Hopf de Valle Wimpensi Wormatiensis Diæcessis publicus Notarius. Hæc confirmatio auctoritate Basileensis Concilii facta postea ab ipso metu Abbatte Augiensi Friderico fuit approbata, & pariter ab eo confirmatus Conradus. Constatbat autem prædicta confirmatio 260. florensis. Cur illam primitus recusarit Fridericus causam fuisse afferit Reverendissimus noster Historiographus Joannes

Contro-

U u u u 2

*Controversiam quandam inter oppidanos Ulmenses & ipsum Abbatem, ex parte cuiusdam Nobilis qui aduersabatur Abbatii & Monasterio Augiensis, quem ipsi Ulmenses sovebant aduersus eum, qui tulit Decimas per girum civitatis Ulmensis ad quatuor miliaria, atque alios fructus & proventus Monasterii Augiensis. Ob hanc detentionem coarctati Monachii per plures annos nullum amplius inde habuerunt commodum. Suisque preventibus carere debebant unde plurima redundabat in illos miseria & calamitas.*

### §. III.

Annus Regiminis Conradi valde notabilis.

**F**uit hic annus supra millesimum quadringentesimum quadragesimus sextus, dignus certe ut in Annalibus Ulmensium aureis inscribatur characteribus, ab Augiensibus vero Monachis planctu perpetuo notetur. Cur vero? Ulmenses Magistri ac Consules cum tota communitate suorum civium tandem hoc anno invenere medium excutiendi a cervicibus suis jugum, quod a Caroli M. temporibus illis grave erat, atque in libertatem, quam per tot Sæcula suspirabant, sese afferendi. Fridericus Abbas cum cerneret religiosam Monasterii sui Rempublicam penitus esse collapsam, illamque reparandi spem in extrema tegula esse sitam; varia animo agitare consilia cœpit, qua tandem via ex immenso contractorum debitorum cumulo posset emergere. Multis precibus instabat apud venerabilem Constantiensis Ecclesiæ Episcopum, ut auxiliarem sibi præberet manum ad componenda cum Ulmensibus oppidanis dissidia; multum enim se in favorem impendit laudatus Episcopus pro sedandis Adversariorum animis, ac pro recuperatione & reductione Decimatum, fructuum, jurium, bonorum, aliorumque ad Augensem Ecclesiam pertinentium proventuum, quibus jam per aliquot annos carere debuerat prædictus Abbas. Ad amicabilem compositionem spes nulla erat super. Adeo exarcebati erant Ulmenses (qui jam in Excommunicatione per quatuordecim annos teste Felice Fabro Hist. Suev. P. II. p. 238. propter Monachos perduraverant) ut omnia consilia respuerent. Inter partes variisque in locis variis habitu sunt tractatus, frequentes deliberationes a Commissariis institutæ, non sine maximis dissensiis, incommodis, laboribus & expensis, quin tamen Controversia spectaret finem, aut animi dissentientes & discordes redirent in concordiam. Opportune accidit, ut Serenissimus Princeps & Brandenburgensis Marchio Albertus cum aliis Nobilibus ac Legatis hoc tempore, quo ista agebantur, veniret Constantiam, qui Abbatis Augiensis vices miseratus eidem Author esse cœpit, ut Ulmensium Hospitali sancti Spiritus, ac Magistratui viro insigni pecuniarum Summa nempe viginti quinque millium florenorum auri Rhenensis omnia jura, proprietates, Decimas, census, & obventiones omnium & singulorum tam spiritualium, quam temporali, omnia præterea privilegia tam intra quam extra civitatem hactenus venderet ac in illos transfunderet, concepta desuper ineundæ cum Ulmensibus concordia notula, quæ ipsimet Friderico Romanorum Regi exhibita placuit, reputanti eam Augensi Monasterio utilem fore, propterea quantum in ipso erat annuit, ac suam adjectit autoritatem. Placuere hæc Friderico Abbatii suisque Fratribus tantorum Principum consilia actisque decentissimis gratiis nihil magis optabat quam occasionem opportunam illa deducendi in effectum, hanc enim unicam superesse sibi tabulam jam creditit ex tot bonorum naufragio enatandi ad melioris fortunæ littus. Favorem Alberti Brandenburgici ipsemnet Fridericus magnis laudibus celebrat in venditionis instrumento. Dati hujus Consilii fama velocibus aliis mox provolavit ad Ulmensium aures, ac omnium, quorum intererat, & qui salutem Patriæ zelabant, corda ingenti complevit jubilo; nec enim gratori illos & Romanorum Rex Fridericus & Brandenburgensis Marchio obstringere potuissent beneficio, nec definita jam viginti millium florenorum Rhenensium Summa emptores deterrere debuit, quis enim ex statibus Imperii ditioribus illo tempore pro liberitate per tot sæcula suspirata tantillum lytri non libenter solvisset? Dum civium vulnus præ gaudio hujus Nuntii essent exorreisti, sola Conradi nostri facies erat subtristior; verebatur enim, ne in hac emptione, aut venditionis instrumento quidquam insereretur Juribus Collegii sui præjudicium. Timebat, ne jus confirmandi Wengenses Præpositos sibi in posterum quoque reservarent Præfules Augienses, quorum tamen Dominatus tam exosus successu temporis nobis factus erat

erat, quam usitata despotica in civitatem Ulmensium regendi ratio, aut si cum ceteris quoque juribus abdicaretur a Friderico haec confirmandi Neoelectos potestas, ad eos transiret, a quibus cum Privilegiis ceteris eligendi Praepositos libertas minui posset contra consuetudinem hactenus observatam. Non potuit celare hunc animi sui timorem coram Nobilibus amicis suis Ulmæ subsistentibus, iisque qui sedebant ad clavum Reipublicæ. Nec male in amicorum auxilio collocavit hanc suam fiduciam. Inventum enim erat pellendo timori aptum remedium, ut mox videbimus. Ut haec jurum Augiensium venditio recto tramite pergeret, & omni impedimento præcludeatur aditus; summopere necessarius erat summipontificis Romani consensus. Eugenius IV. Apostolicæ Sedi præterat. Huic non tantum Abbas Augiensis pro consensu supplicavit expositis Monasterii sui calamitatibus, sed etiam ipsius Friderici Romanorum Imperatoris Nomine expediebantur litteræ, idem petitum continentibus, quibus illico rescripsit Eugenius Pontifex Maximus, bullatas suas litteras dirigens ad Abbatem Monasterii sancti Galli de S. Gallo & ad Decanum Ecclesiæ Constantiensis sub tenore sequenti :

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Abbati Monasterii S. Galli de St. Gallo Constantiensis Diæcesis, & Decano Ecclesiæ Constantiensis salutem & Apostolicam benedictionem, Regimini universitatis Ecclesiæ, disponente Domino præsidentes juxta Pastoralis officii debitum, cura reddimur indefessa solliciti; ut Christi fideles singuli, in quorum utique tranquillitate reficimur, iurgiorum & dissensionum, refecatis anfractibus, in concordia dulcedine, pacis utique famulentur auctori, unde ad dirimendas inter eos quasvis dissensionum contentionumque majoras, eo Apostolicæ sollicitudinis studio cum apostolica affectione, minimis propensiis occurrimus, quo dispendiosiores fore censemur, ac iplorum fidelium conturbatio vehementius nos conturbat; si ne pro parte dilectorum filiorum Friderici Abbatis, & Conventus Monasterii sancti Marci Augiæ majoris, Ordinis sancti Benedicti Constantiensis Diæcesis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias cum Abbas prædictus utilitati, & commodo ipsius Monasterii intenderet, & alienata ab ipso Monasterio pro viribus recuperare disponeret, comperit inter alia, quod Parochialis Ecclesia oppidi in Ulm dictæ Diæcesis, præfato Monasterio erat incorporata, quodque major in Pfuel, & aliæ Decimæ, nec non fructus, Possessiones & bona ad præfatum Monasterium, etiam tunc legitime spectantia, per prædecessores, ejusdem Monasterii Abbates, qui fuerunt p. t. ad dicto Monasterio alienata, & per diversas tam Ecclesiasticas, quam sacerdtales utriusque sexus prædicti oppidi, & alibi personas detineantur indebet occupata, & subsequenter ipso Friderico Abbe pro recuperatione & reductione Decimarum, fructuum, Jurium, bonorum, & aliorum ad Monasterium prædictum pertinentium, pro posse insidente, cum de aliquo bono, ad recuperandum, reducendumque Decimas, fructus, Jura, bona, & alia supradicta cum oppidanis ejusdem oppidi, sive ad hoc pro parte illorum deputatis, in civitate Constantiensi coram venerabili fratre nostro Henrico Episcopo Constantiensi, ac nonnullis aliis Nobilibus, notabilibusque viris, in diversis, ad id consignatis locis pluries causa tractandi desuper amicabiliter, cum dictis oppidanis compareret, & habitis desuper his cum dictis oppidanis mediis, modis & tractatibus diversis, cum eis concordare, nullatenus posset, inter ipsum Fridericum Abbatem & Conventum ex una & præfatos oppidanos, & super decimis, fructibus, & proventibus Ecclesiæ hujusmodi partibus ex altera parte, & eorum occasione dissensionis, questionisque materia, & deinde postquam lis sive Controversia super præmissis inter partes prædictas, coram diversis Comissariis, non sine maximis dispendiis, incommodis, laboribus & expensis, per annos plurimos agitata fuerat, dilectus filius, nobilis vir, Albertus Marchio de Brandenburg, & nonnulli alii Nobiles & Barones, ad partes illas per charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Regem Illustrem, pro nonnullis suis ibidem promovendis negotiis missi, ad civitatem Constantensem venientes, cum dissensiones, discordias, & questiones hujusmodi sentirent pro pace & concordia inter dictas partes, quantum in eis erat, quantocius interponentes, certam inter easdem partes concordiam conceperunt, tenoris, atque effectus subsequentis, videlicet quod dictus Abbas Magistro civium, Consulibus, & pro-Consulibus dicti oppidi, ad opus & utilitatem hospitalis pauperum sancti Spiritus ibidem, & illius negotiorum Directoribus sive procuratoribus suo & ipsius Monasterii. Conventus nomine, quantum sufficere poterit, jus, proprietates, domi-

nia, feuda, Decimas, census, Jura & obventiones omnium & singularum tam spiritualium, quam temporalium a se penitus & omnino abdicare debeat, quodque Abbas prædictus ad hoc, quod jus patronatus, & præsentandi personam idoneam, ad Ecclesiam prædictam, nec non collatio scholastica, & officio editui, & pratum clericorum, ad Magistrum civium, Consules & pro-Consules prædictos spectant ac major in Pfuel, hujusmodi post obitum eorum, qui illam in parte, vel in toto, tam ad precarias quam ad vitam perceperunt, prout percipiunt, nec non minus & infra limites ejusdem oppidi existentes Decimæ, ad fabricam ejusdem Ecclesiae, quæ in illorum possessione pacifica, vel quasi ab annis plerisque fuit, prout est, remaneant temporibus perpetuis & futuris, & si per litteras, quas præfati Magistri civium, Consules, & pro-Consules, ac fabrica desuper habere dicentur. Auctoritate Apostolica confirmatum, seu sufficienter provisam non foret, extunc Abbas & Conventus prædicti, sufficientem super hoc provisionem, eisdem Magistro civium, Consulibus & pro-Consulibus, facere & procurare teneantur, quodque collatio capellæ St. Nicolai ejusdem oppidi & jus conferendi eandem, seu disponendi de illa in Magistrum civium, Consules & pro-Consules præfatos, ac præsentatio personæ idoneæ, in perpetuum Vicarium dictæ parochialis Ecclesiae ad eosdem Magistrum civium, Consules & pro-Consules institutio vero, seu investitura hujusmodi personæ, ad Episcopum Constantiensem p. t. existentem, spectare & pertinere, nec non confirmatio Præpositi Monasterii in Wengen Ordinis Canonicorum Regularium St. Augustini & oppidi prædicatorum, quæ hactenus ad ipsum Abbatem spectare consuevit, ad hospitalarium dicti hospitalis, deinceps similiter perpetuo spectare & pertinere, nec non Abbas & Conventus prædicti, etiam nominibus quibus supra omnes & singulas alias decimas, tam majores quam minores, quæ ad dictam Ecclesiam quomodolibet hactenus pertinuerunt & adhuc quovis modo pertinere poterunt, & præsertim ante singulas dicti oppidi fores sive portas, videlicet in in Söflingen, in Grimmelsingen, in monte Oelsberg, in Klingensteine, in Eristein, in Möringen, in Lohern, in Zwingingen, in Kesselbronn, in Orlingen, in Offenhausen, in Bössingen, in Strobeln, in Göttingen, in Hasla, in Vorlaingen, ac generaliter universa & singula bona, tam mobilia, & immobilia in oppido præfato, ejusque districtu, & pertinentiis consistentia quibuscumque nominibus censeantur ad Monasterium, Abbatem, & Conventum hujusmodi ratione ipsius Ecclesiae quomodolibet spectantia, prout in cedula sive notula concordia hujusmodi conscripta specificata sive notata sunt, cum dotibus, ac utriusque sexus hominibus, animalibus & bestiis, aliisque quibuslibet, in usus, commodum, & utilitatem dicti hospitalis, illiusve negotiorum gestorum, factorum, sive procuratorum pure & libere renuntiare, ac in illos totaliter transfundere, nec non etiam quæcumque alia dominia, bona, Jura, proprietates, feuda, libera & censualia in oppido & districtu, prædictis existentia, ac ad Monasterium Abbatem & Conventum præfatos, præmissa ratione similiter pertinentia, & signanter in Donorieden, in Bössingen, nec non agrorum in Erlingen. in Zwingingen, in valle dicta Gatzenthal, in fundo Ulmae vulgariter in den Boden, nuncupato, accensum ortorum in præfato oppido existentium nec non in Dischingen, domorum quoque & curiarum in ipso oppido prope Capellam trium Regum, ac in vico sive platea, Suntgassen habitationum proprietates similiter ad Monasterium, Abbatem & Conventum præfatos, spectantia, sive spectantes in Magistrum civium, Consules & pro-Consules supradictos realiter & omnino transferre, ac Juri ejus in illis seu ad illa, quomodolibet competenti, renuntiare debent, Magister civium vero ac Consules, & pro-Consules antedicti in recompensam & in Cambium omnium præmissorum Summam viginti quinque millium florinorum auri Rhenensis partim pro recuperatione & liberatione certorum locorum, in quibus dictum Monasterium, & illius bona obligata sunt, & ad quæ redimenda, & recuperanda ipse Magister civium, Consules, pro-Consules dictis Abbatii & Conventui infra medium annum in utilitatem dicti Monasterii convertendorum solvere, tradere, & effectualiter assignare debent, atque tenentur, prout hæc & alia in notula concordia hujusmodi seriatim & latius continentur, quæ quidem concepta concordia præfato Regi, reputanti eam eidem Monasterio utili fore, plerumque complacuit illique quantum in eo erat, annuit & consensit, ac suam adjecit auctoritatem, quare pro parte Regis, nec non Abbatis & Conventus prædicatorum, nobis fuit similiter supplicatum, ut concordia hujusmodi annuere, ac alias in præmissis statui & idemnitatibus Monasterii, nec non Abbatis & Conventus prædicatorum opportune providere de benignitate Apostolica digna-

dignaremur, nos igitur qui tranquillitatem & pacem quærimus singulorum, ac de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, aut alter verstrum super præmissis omnibus & singulis, eorumque circumstantiis universis, auctoritate nostra vos diligenter informetis, & si per eandem informationem ita esse inveneritis, supra quo vestras conscientias oneramus, Abbatii & Conventui prædictis, Decimas, Jura, bona, Census, Reditus, Feda, Censualia, proprietates, præsentationes, beneficiorum collationes, institutiones, omniaque alia, & singula, supradicta, prout in hujusmodi concordia continentur, & illam quomodolibet contingere poterint, a præfato Monasterio alienandi, ac in usus & utilitatem hospitalis, nec non in Magistros civium, Consules, & pro-Consules, hujusmodi modo & forma præmissis transferendi, ac loco alienatorum prædictorum alia eidem Monasterio magis utilia & accomoda bona emendi licentiam, eadem auctoritate concedatis, ut nihilominus si concessionem hujusmodi per vos præsentium vigore fieri contigerit, concordiam hujusmodi, postquam illa per Abbatem, & Conventum prædictos acceptata fuerit, & quæcumque inde secuta, ad hoc quod firmius subsistere valeant, dicta auctoritate approbetis & confirmetis, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Monasterii & Ordinis prædictorum, Juramento, confirmatione, Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ ad S. Petrum Anno Incarnationis Dominice MCCCCXXXVIo. Illo Ralendas Aprilis. Pontificatus nostri anno sexto decimo,

Obtento per hæc Apostolica scripta Romani Pontificis, consensu, cum jam præcesserit Serenissimi Romanorum Regis Friderici clementissimus annutus & ratiabitio, elapsò trium mensium intervallo tandem

Venit summa dies, & ineluctabile tempus, hoc enim anno 1446. die Mensis Julij quarta, sancto Vdalrico Augustensi Episcopo sacra solemnissima venditionis instrumento Fridericus Augiæ majoris Abbas, Joannes Decanus totumque Capitulum quidquid Jurum, censuum, possessionum ac temporalium bonorum per plura saecula intra civitatem, & extra illam per gyrum quatuor milliarium germanicorum possederant, Magistratui, ac Hospitali S. Spiritus in Ulma pro Summa 25000. florenorum Rhenensium, simulque etiam omnia spirituallia Jura sive in prædicti Hospitalis, sive in civitatis Rectores transtulere in hanc veuditionem etiam consentientibus pluribus Ordinis S. Benedicti Prælatis, scilicet Caspero Abbe S. Galli, Nicolao Abbe S. Blasii, Joanne Abbe Zwifultensi, Bertholdo Abbe Scaphusiano, Joanne Abbe Petershusano, Joanne Abbe Steinensi. Atque sic tandem, ait Felix Faber in Historia Sueorum lib. 2. pag. 238. absoluti sunt Ulmenses a Monachis, & Monachi ab eis, quibus Ulmenses aurum non modicum promptum dederunt, scilicet XXIII. (25000. erant.) millia florenorum, & omnia Jura, & bona in civitate Ulmensi, & in circulo quatuor milliarium redemerunt, & hanc redemptionem Concilium (Basileense scilicet) Papa & Imperator ratificaverunt litteris & Sigillis solennissimis multorum Principum subscriptione. Hic absque injuria Augiensium Monachorum, a quorum Antecessoribus plurima bona, ac beneficia in nos profluxerunt, quibus præterea primum fundationis nostræ locum ac plura privilegia gratissimo animo in acceptis referimus, lessum subjugere liceat Conradi de Cimberen versicatoris Augensis egregii, quo statum Augiæ diu ante hanc alienationem Jurum deploraverat.

Augia regalis dives quandoque fuisti  
Nunc talis, qualis, quia plurima damna tulisti.  
Augia regalis tu per multos tribulata  
Sed foecunda malis in multis debilitata.  
Augia sublimis te primitus annihilavit  
Flamma duplex Hyemis: hinc vis te præcipitavit,  
Tu captivato Pastore tuo doluisti,  
Et male tractato sibi re compassa fuisti.

Incumbunt avidi post raptore generales,  
 Tollunt impavidi, primoque ministeriales  
 Res tibi collatas a Principibus Reverendis,  
 Sorbent suqlatas, ac insidiantur edendis.  
 Hi Defensores humiles quandoque fuerunt,  
 Nunc se raptore crudeles constituerunt.  
 Lis tibi Papalis quæ depositus Fridericum,  
 Et contemptorem Fidei sacræ violentum,  
 Reddere comissum sibi dum negat ipse talentum,  
 Hæc sunt & plura lædendi te tamen illa  
 Maxima: & Vrbs Ulma, tua quondam Regia Villa.  
 Cur jam non moeres Opido quæ plena redundabas.  
 Dico luctanter, defle nunc te Augia Mater!

## §. IV.

Transfertur in Hospitalis Ulmensis Rectorem Jus confirmandi & investiendi Præpositos Wengenses.

**P**racto momentosæ hujus venditionis & emptionis negotio triumphabat Ulma, nec minori lætitia suffundebatur Conradus, postquam ab amicis fuisse monitus, ut omnem sollicitudinem deponeret, renuntiasse enim in perpetuum Fridericum Abbatem in publico venditionis instrumento juri confirmandi Wengenses Præpositos, atque illud cum Pontificis Romani consensi translatum esse in Hospitalis Ulmensis ejusdem nobiscum Regulæ, Rectorem ejusque Successores, salvis præterea omnibus ac singulis Juribus ac Privilegiis, ab Augia Abbatibus vel concessis, vel sub eorundem regimine possessis. Nec se fefellit Gonradum faustum hoc Evangelium. Sequentia enim formalia præfato instrumento sunt inserta: Desglich wñ oder als dick zu ewigen Zyten ain Probste des Gotshus zu denen Wengen zu Ulme Chorherren von der Regel Sancti Augustini Ordens in Costenzer Bisclum gelegen erkoren und erwelt wird, den wir und unser Gottshus vntzher zu confirmieren und investieren gehet haben, des begeben and verzyhen wir vns auch gänzlich, und gar, das den dennahin allwege confirmieren und investieren sol ain Spitaler des Spittals des heiligen Gaists zu Ulme, der derselben Regel auch ist, vorbehalten doch denselben Herren und Gottshus in den Wengen zu Ulme, und allen ihren Nachkommen alle andre ihrer Freyheit, und gerechtigkeit s die sie und ihr Gottshus gen und von uns, unserem Gottshus und nachkommen hand, dat die bi Küfften und mächtien bliben fullen, das sy der an dem ende gebruchen, und geniesen fullen, und mügen. Similia verba adhuc semel in prolico hoc instrumento leguntur, ubi iterato Abbas venditor principalis renuntiat juri ac potestati: Uff die gerechtigkeit, das ainen jeglichen Probst zu Wengen zu Ulme, ain Spitaler des Spittals des heiligen Gaists nu fürbaß ewiglich confirmieren, ung investigieren sol Eugenius IV. per Apostices suas litteras s. præcedente allatas similiter consensum præstat, ut confirmatio Præpositi Monasterii in Wengen, Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini & Oppidi prædictorum, qua haec tenus ad ipsum Abbatem (Augiensem) spectare consuevit, ad Hospitalarium dicti hospitalis deinceps spectet. Ob hanc gratiam & liberationem, a jugo, sub quo haec tenus per tria fere sæcula viximus gratum fese Magistratui Ulmensi exhibuisse Gonradum in fastis nostris lego. Quæstio merito hic moveri posset, quidnam intelligatur per verba Instrumenti: ain Spithaler des Spittals des heiligen Gaists zu Ulme der der selben Regul auch ist? Non desunt ex Chronicorum Ulmensium Scriptoribus, qui hæc verba ita interpretentur: qui ejusdem Regulæ ac Ordinis est, quem profitentur Wengenses Canonici. Verum absque ullo sufficienti fundamento hoc dici puto, ac aliam animo sententiam foveo, existimoque tunc temporis Ulmensis Hospitalis Præfectum ac Rectorem religiosum qui dñm fuisse, sed minime Ordinis Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini quem profitentur Wengenses Canonici, sed Ordinis S. Spiritus Romæ in Saxia nominati,

cu-

ti, cuius Ordinis Religiosi pariter S. Augustini Regulam pro norma vivendi eligunt. Hujus Ordinis Hospitale etiam nostris temporibus floret in civitate Imperiali Memmingensi. Si quis fusiorem de Origine & propagatione Sacri hujus Ordinis S. Spiritus Hospitaliorum notitiam habere velit, P. Corbiniani Kham Ordinis S. Benedicti Hierarchiam Augustanam, ejusque partem tertiam, quam Regularem vocat, evolvat in qua partitione IV. Hospitaliorum S. Spiritus Primordia, & propagationem prolixe refert, ad quem Lectores meos remitto.

## §. V.

## Conradi ædificia, Bibliotheca &amp; reliqua illius Encomia.

**C**um insigni prudentia & sagacitate polleret Conradus, laudatur a Posteris quod egregii œconomie partes in omnibus impleverit. Inter ædificia, quæ ad utilitatem Monasterii construxit, eminet magnum nostrum Granarium, & Horreum, quod & hodie adhuc exstat illæsum. Pro sanitate Confratrum suorum prope Portam Collegii Balneum, dormitorio autem adjunxit Scholam. Forniculario opere munivit ambitum. Erexit Pisturam. Novis ædibus a civibus Vlmensibus, contemptis, hortoque insuper adjecto dilatavit angustiora Collegii pomæria. Variis vasis ac utensilibus argenteis auxit sacram Supellectilem. Reliquias S. Othmari argenteo inclusit brachio. Varios Scyphos cochlearia & Salilla ex eodem metallo fabricata comparavit. Magnis sumptibus fontem fodi ac exstrui fecit pro communitate Conventus, ac famulitii domestici. Capitulum texit testudine, & scannis exornavit. Bibliotheca nostra sub ipso sua habuit primordia, quam ditavit insignibus aliquot libris Membranaceis. Plura prædia ipsi ex hereditate obvenientia sub perpetuo censu locavit ac incorporavit Monasterio. Beatissimam Virginem specialiter dilexit & erexit in illius honorem in medio Ecclesiæ situatæ altari illius cultum promovere studuit, sexcentaque alia præstitit quibus boni archimandritæ in nostris annalibus meruit nomen. Prospera in omnibus usus est fortuna, præterquam in Foro Judiciali, in quo quartam partem Decimarum in Bernstatt, a Prædecessore suo emptum ex quadam capitulo, ut loquitur Scriptor domesticus, Controversia amisit, pari modo nolens restaurare Sacellum S. Jacobi in Foro Vlmeni, maluit civitati resignare ipsam Ecclesiam illiusque Jura,

Anno 1457. Calixtus III. per Apostolicum Rescriptum illi demandavit, ut cum Decano S. Mauritii Augustæ Imperiali Monasterio Roggenburgensi bona illicite alienata vel distracta ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitimere revocare curaret, etiam per censuras Ecclesiasticas. Præsidebat eo tempore Roggenburgensi cœnobio Joannes Deiringer vir tanto honore dignissimus. Sed audiamus ipsummet Breve Commissionis Calixti tertii,

Calixtus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Præposito in Wengen per Præpositum soliti gubernari Constantiensis Diæcesis, & Decano Ecclesiæ Sancti Mauritii Augustensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilectorum Filiorum Abbatis & Conventus Monasterii in Roggenburg Præmonstraten sis Ordinis Augustensis Diæcesis, precibus inclinati præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ad dictum Monasterium spectantibus alienata inveneritis illicite, vel distracta ad Jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitime revocare curetis, Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatio ne postposita compescendo. Testes autem, qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium prohibere. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse altera vestrum nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo quinquagesimo septimo pridie Nonas Maij Pontificatus nostri anno tertio.

Vixerunt sub Conrado sequentes Canonici: Matheus Zimmermann, Georgius Leschenbrand, Heinrius Tischinger, Vdalricus Kraft Presbyteri, Wilhelmus Burgermeister Acolytus, Sigismundus Ehinger, Egidius Schmid, qui ante Professionem regularem habitum exuit, Othmarus Seibold, & Christianus Gussenstat, qui pariter vocationem suam ante Novitiatum completum deseruere. Conradus

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. Y y y y

cudem

autem Præpositus pie in Domino devixit animamque suam meritis plenam Creatori restituit anno 1464. sexta die Martii in Choro versus Sacrificiam cum aliis Prælatis Antecessoribus sepultus. Post se reliquit non modicam paratæ pecuniaë Summam, ac horrea plena frumento. Præful fuit posterorum memoria, ac omnigena laude dignus.



## PERIODUS II.

### CAPUT IV.

De Sigismundo Præposito XVIII. & Vdalrico Præposito XIX.

§. I.

Sigismundus eligitur, hujusque Electionis promulgatio.

**C**onradum secutus est in Præfectura Sigismundus Præpositus XVIII. Nobilis itaque Nobili successit, utinam etiam Nobilium illius virtutum hæres! fuerat Sigismundus ex prænobili Prosapia Ehingerorum, qui Vlmæ Patriorum accensebantur familiis, progenitus, cujus Prosapiæ ultimus surculus primum currente hoc Sæculo decimo octavo, nullum hæredem masculum post se relinquens, extinctus est. Illud tamen Ehingerorum genti ad immortale decus cedit, quod eorundem posteritas, ex Sigismundi linea in hac urbe nostra a Religione Catholica nunquam passa sit se dimoveri; imo, nulla unquam odia, nulla pericula, nullos sumptus formidans, semper pro illa propugnanda, & contra quoslibet insultus conservanda, coram Cæsaribus, Regibus & Principibus imperiterita steterit, quod plurima litterarum monumenta adhuc extantia probant. Electus fuit Sigismundus anno 1464. sexta die Martii indictione duodecima Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac DD. Pii Papæ secundi anno sexto plaudente Prænobili ejus Familia, omnibusque in Ulma Nobilibus; nec enim qualitatibus gerendo spirituali Magistratui aptis destitutus esse videbatur, nec modicam in illius persona collocabant fiduciam eligentes Canonici; invenere tamen postea spem suam male fuisse collocatam & Sigismundum a vestigiis Antecessoris sui omnino deviasse, qua de re postea Neoelectus iam non amplius præsentandus erat Abbatii Augiæ divitis post divendita Monasterii sui Jura & sponte abdicatam confirmandi Præpositos Wengenses potestatem. Præsentandus erat Hospitalario Ulmensi Hospitalis sancti Spiritus, qui dictus erat Petrus Bulach de Geislingen, ad quam authoritate Apostolica devolutum hoc Jus erat. Juvat hic ex Originalibus afferre & publicataæ Electionis, & Confirmationis instrumentorum copias, ex quibus Lectores dispiciant, quænam adhibitæ sint solennitates in Electione & investiture Præpositorum Wengensium illo tempore, quas constanter usque ad ætatem Reverendissimi nostri Præpositi Ambrosii Kauth observabant.

Primo solenniter promulgabatur ab Hospitalariis novi Præpositi Electio & citationis partium, seu interesse habentium. Forma a Petro Hospitalario usurpata erat sequens.

Citatio publica Partium seu Interesse habentium facta in Electione Sigismundi Ehinger de anno 1464.

Petrus Bulach de Gislingen Rector Hospitalis sancti Spiritus in oppido Ulmensi Constantiensis Diæcesis universis & singulis Plebanis, Viceplebanis, Altaristis, Vicariis perpetuis, loca tenentibus eorundem tabellionibus & Notariis publicis per Dyocesin Constantensem ac alias ubilibet constitutis salutem in Domino. Comparuerunt coram nobis Venerabiles & Religiosi viri Domini Mathæus Zimmermann, Georgius Leschenbrandt, Wilhelmus Burgermaister alias de Dicisow &

& Ulricus Krafft Canonici Professi Monasterii ad Insulas Ordinis sancti Augustini Ulmensis ac Capitulum ejusdem Monasterii facientes & representantes, nobis exponere curaverunt, Quod bona memoriae Domino Conrado de Blinthain quondam Praeposito dicti Monasterii viam universæ carnis ingresso & ejus corpore Ecclesiasticæ tradito sepulturæ certam diem ad electionem futuri Praepositi præfixerint, qua adveniente tractatibus multiplicibus præhabitis in Reverendum Patrem Dominum Paulum Abbatem in Elchingen Ordinis S. Benedicti ac venerabiles & Religiosos viros Dominum Martinum Priorem in dicto Monasterio in Elchingen & Dominum Michaelm Priorem Monasterii Canonicorum Regularium sancti Augustini in Herbertingen Augustensis Dyecesis sub certa forma compromiserint, quodque dicti compromissarii servata in omnibus forma eis attributa venerabilem & Religiosum virum Dominum Sigismundum Ehinger ejusdem Monasterii Professum & Canonicum Regularium Ordinis sancti Augustini tunc in præsentia coram nobis constitutum concorditer in futurum Praepositem elegerunt, prout hæc & alia in quodam instrumento publico coram nobis in medium exhibito plenus cernuntur contineri nobisque dictum Capitulum & electus humiliter supplicarunt ut hujusmodi electionem de persona dicti Sigismundi factam confirmare, approbare, aliaque facere quæ ad hujusmodi electionis negotium necessaria sunt seu etiam quomodolibet opportuna dignaremur. Nos igitur attendentes verbum Apostoli dicentis nemini cito manum imponas, idcirco vos omnes & singulos & quemlibet vestrum monemus & requirimas ut audeatis, & quilibet vestrum accedat requisitus, ubi propterea fuit merito accedendum & peremptorie citetis ad nostri præsentiam omnes & singulos utriusque sexus homines sua communiter vel divisim interesse putantes, quos & nos tenore præsentium sic citamus, ut coram nobis in loco habitationis nostræ feria quarta proxima ad Dominicam qua in Ecclesia Dei cantatur quasimodo geniti hora tertiarum & causarum consueta per se vel Procuratores suos sufficienter instructos in causa & causis hujusmodi cum omnibus & singulis litteris instrumentis, juribus & munimentis causam & causas hujusmodi concernentibus compareant ad videndum & audiendum dictam electionem de persona prefati Domini Sigismundi factam approbari & confirmari sibique Domino electo dictam Praeposituram conferri & de eadem provideri, possessionemque ejusdem Praeposituræ assignari certificantes dictos citatos, quia sive in dicto citationis termino comparuerint coram nobis ut præmittitur, sive non, nos nihilominus in hujusmodi confirmationis negotio prout visum fuerit procedemus ejus seu eorum contumacia non obstantibus. Datum & actum Ulmae sub anno a Nativitate Domini millesimo quadragesimo sexagesimo quarto die vero veneris decima sexta Mensis Martij nostro sub sigillo præsentius subapposito,

(LS.)

Johannes Layder,  
Notarius scripsit.

Tenor Instrumenti Electionis ac Confirmationis R. D. Sigismundi Ehingers Praepositi, Anno 1464. facti, erat sequens:

In Nomine Domini Amen. Nos Petrus Bulach Rector Hospitalis sancti Spiritus Ulmensis, Constantiensis Diæcesis, universis & singulis quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, notum facimus per præsentes, quod bona memoriae Domino Conrado de Blintheim Praeposito Monasterii Canonicorum Regularium sancti Augustini ad Insulas Ulmenenses ejusque corpore Ecclesiasticæ tradito sepulturæ Canonici dicti Monasterii ad quos illius Praepositi electio pro tempore pertinere dignoscitur, die ad eligendum præfixa, ut est moris, convenientes in unum, venerabilem ac religiosum virum Dominum Sigismundum Ehinger in ipso Monasterio expresse professum, alias idoneum, in eorum & memorati Monasterii Praepositum per viam compromissi, quæ mixta appellatur, concorditer elegerunt ipseque Sigismundus Electioni hujusmodi consensit, prout de his, & aliis per publica documenta fuimus legitime informati. Et quia olim vacante pro tempore Praepositura, prædicta confirmatio electi Praepositi ad Reverendum Patrem, ac Dominum Dominum pro tempore Abbatem Monasterii Augia-

Majo-

Y y y 2

Majoris, Ordinis sancti Benedicti, dictæ Constantiensis Diæcesis de antiqua, & approbata, & hactenus pacifice observata consuetudine pertinuit: Quam quidem protestatem confirmandi idem Abbas in nos & Successores nostros Rectores Hospitalis nostri prædicti, justo & Canonico titulo transtulit. Quam ob rem dicti Canonici, & Electus coram nobis vnamiter constituti humiliter supplicarunt, ut hujusmodi Electionem de persona dicti Sigismundi factam, & celebratam, ratam & gratam habere eamque confirmare, & approbare dignaremur. Nos igitur attendentes hujusmodi supplicationem justam, & consonam rationi, atque in hujusmodi confirmationis negotio, juxta ordinem juris procedentes, omnes, & singulos, utriusque sexus homines sua communiter, vel divisim interesse putantes ad dicendum, & opponendum quidquam verbo, vel in scriptis, contra formam Electionis, Personas eligentium, & Electi dicere, vel opponere vellent per nostras petentes litteras Sigilli nostri appensione communitas, in valvis seu Portis Ecclesiarum, Parochialis Beatæ Virginis Mariæ, & præfati Monasterii ad Insulas Vlmenenses, sub Missarum solemnitiis, dum ibidem Christi fideles ad Divina audienda convenerant, citari fecimus, & citavimus ad certum terminum peremptorium, competentem, videlicet, ad diem & horam infra scriptas: In quo quidem termino nobis in domo habitationis nostræ, ac in loco nostro solito, & consueto ad jura reddenda, & causas audiendas pro tribunali sedentes, comparentibus coram nobis in judicio, & judicialiter dictis Dominis Canonicis & Electo, citationem, de qua supra commemoratum est, in locis prænarratis legitime executam, reproducentibus, ac citatorum non comparentium, nec hujusmodi diei termino in aliquo satisfacere & curantium contumaciam accusantibus, & in eorum contumaciam, dictam Electionem de Persona dicti Sigismundi factam, & celebratam, ratam & gratam habere, & autoritate nostra confirmare & approbare, ac eundem Sigismundum de dicta Præpositura investire, ac in possessionem ejus inducere, prout juris & moris est, potentibus, dictisque citatis non comparentibus, licet diutius exspectatis, merito, prout erant justitia exigente, per nos pro contumacibus reputati, & in eorum contumaciam ex depositione testium fide dignorum, & alias per examinationem diligentem circa formam electionis, personarum eligentium, & electi habitam, reperimus dictam electionem canonice factam, eundem Sigismundum ad hujusmodi Præposituram habendam, tenendam, & regendam idoneum. Ideoque eandem Electionem de Persona dicti Electi factam & celebratam, ratam & gratam habentes, eamque confirmandam, & approbandam duximus, confirmamus, & approbamus, ipsumque Sigismundum de dicta Præpositura ad Insulas coram nobis personaliter constitutum, & humiliter petentem, per annuli nostri dedito suo immissionem, & Birretum nostrum capiti suo immissionem, seu impositionem investivimus, & providimus, ac progrediendo de habitatione mea cum dictis Canonicis, & Electo ad dictum Monasterium ad Insulas in stallum in Choro, & locum in Capitulo, ac domum habitationis Præposituræ, in signum corporalis possessionis, vel quasi ipsius Præposituræ jurium, & pertinentiarum omnium, prout melius potuimus, & debuimus, posuimus, & induximus per præsentes. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes litteras, sive præsens instrumentum publicum per Notarium publicum subscriptum confici, & subscribi, nostrisque Sigilli appensione duximus, & fecimus muniri.

Acta sunt hæc locis supra præspecificatis, sub Anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, sexagesimo quarto. Inductione duodecima, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri Domini Pii Divina Providentia Papæ secundi, anno ejus sexto, die vero octava Mensis Maij, hora primarum, vel quasi; præsentibus ibidem honorabilibus viris Domino Martino Bosch, Presbytero Constantiensis Diæcesis, Michaele Howeer, & Jacobo Egstein, testibus ad præmissa vocatis & rogatis &c.

(L.S.)

Ego

Ego Joannes Layder Presbyter Constantiensis Diæcesis, Publicus Imperiali authoritate Notarius, quia dictis Præpositi Electi confirmationi, approbationi, ratificatione, stalli in Choro & Capitulo, & possessionis dationi, omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, præsens una cum prænominatis testibus interfici, easque omnia sic fieri vidi, & audivi: Ideo hoc præsens Instrumentum manu mea propria scriptum confeci, & in hanc publicam formam redigi, signoque & nomine meis solitus, & consuetis signavi; in fidem, robur, & evidens testimonium, omnium & singulorum præmissorum rogatus pariter & requisitus &c.

(L.S.N.)

Ex duplice hac formula patet modus, quo usi sunt Hospitalarii Ulmenses in confirmatione Præpositorum Wengensium. Cæterum modicam laudem Sigismundo tribuunt nostri Scriptores, cuius fors fuit Nobilitas sola atque unica virtus. Dicitur enim brevi tempore, & quidem intra spatum duorum annorum cum dimidio horrea plena frumento ab Antecessore illius relicta, inutiliter evanescasse, consumpsisse pretiosis cenviviis omnem pecuniam, ac vitam suam, diesque Regiminis sui parvos & breves delectationibus mundanis & corporalibus conclusisse. Plura prædia locavit sub perpetuo censu. Solario, & fonte hortum nostrum juxta novam Portam instruxit, & domunculam quandam juxta Balneum supra Monasterii murum extruxit, quam tamen propter oblocutores coactus fuit rursus destruere. Bruschius hominem prodigum vocat, quæque Antecessor corraserat omnia decoxisse & dilapidasse ait. Præfuit duntaxat annis tribus cum dimidio ac obiit cum parvo confratrum suorum luctu 1468. cui precarnur, ut ipsi Deus in altera vita fuerit propitius.

Vixit ætate Sigismundi adhuc in nostro Collegio Wilhelmus Neidhard vel Neidhard, ex prænobili Neidhardiorum Patritiorum Ulmensium sanguine ortus, quæ familia tunc temporis uti ceteris æquipollebat Nobilitate generis, ita in immensum teste Felice Fabro de Nobilibus in Ulma. V. Neidhard præcellebat ingenuitate mentis. Nescio enim ait, quo genio huic favente familie sit factum, ut tot & tanti viri doctrinis illuminati ex ea ab antiquo usque nunc fuissent, quod bene incredibile videatur stupendumque quasi miraculum recitetur. Habuit enim, & hodie habet hæc familia Insignes plures Magistros artium, Theologos, Canonistis, Legistas, Juristas, Historiographos, ex quibus videamus in statu Ecclesiastico Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum magnos Canonicos & Episcoporum Vicarios officiales, Capitulorum Præpositos & Decanos, & Parochiarum magnarum Curatores. Prædictus Wilhelmus aliquamdiu in nostro Collegio Decanum egit, quam spartam suam omnibus numeris absolvit. Wernherus St. Gallensis Abbas ex arce Ittingensi in honorem St. Laurentii Monialium cœnobium & Collegium duodecim Canonorum Regularium fundaverat. Ut narrat Bruschius in Chronologia Monasteriorum. fol. 421. Huc sive Udalrici, sive Conradi, tertii nostri tempore ad Præpositoræ clavum Wilhelmus provocabatur, ut elapsi teperi Canonorum rimas obstrueret frigentemque disciplinam ardentí suo zelo accenderet. Nihil equidem omisit, quod solliciti Pastoris cura exigebat, verum jam altius spiritualis acedie languor radices egerat, quam ipse credebat, priusquam duram hanc provinciam in humeros suos suscipieret. Miseriaæ acetum affudit, quod ingenti ære alieno ab Antecessoribus contracto gravata fuerit Religiosa hæc domus. Itaque circa annum Domini 1461. convalescit & Ittingam Cartusiensis Eremi cultoribus vendidit Auctoritate Apostolica animatus, sub quorum disciplina adhuc viget. Varia propterea hominum judicia subiit, nec in æquos semper, ut fieri amat, rerum arbitros incidit, his illum æconomia minus peritum, aliis omnino ceu bonorum dilapidatorem criminibus. Sebastianus Ligidentinus Waidseensis Canonicus in Auctario ad Pennotum M. S. de illo adnotavit sequentia: Anno 1661. Quilielmus Neidhard enobili stemmate prognatus Præpositus Ittingensis, cum Monasterium suum facultatibus valde cominutum & reque alieno gravatum comperisset. accidente Pii secundi Pontificis Magni consensu, voluntate at favore toti Cartusianorum Ordini præcipue vero Patribus in Collimitio Turcarum commorantibus, per contractum justæ venditionis tradidit, & loco Juribusque cessit. Hæc ait citatus Auctor ex monumbris ejusdem loci ad me transmissis, cbi major, quam Bruschio adhibenda fides. Divenit Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. Z z z dito

dito Monasterio ad gremium Wilhelmus rediit adducto secum Nicolao Burckhardo Ittigenis cœnobii olim Canonico. Redux rerum cœlestium contemplationi se dicavit, quo autem anno ad æternas mansiones, Patriamque cœlestem transierit, nullibi annotatum invenio.

## §. II.

## De Vdalrico Præposito XIX.

**N**obili iterum Nobilis, ac Patritio Patribus in Regimine successit Vdalricus hoc Nomine II. in Ordine vero decimus nonus. Natus est ex Prænibili Kraftiorum Patritiorum Ulmensium Familia; Patrem habuit Ottонem, qui ob innatam sibi prudentiam dictus fuit: *Sapiens*, cuius virtutes hæreditario jure migrarunt in Vdalricum filium. In Præpositum electus anno 1468. prima die Julij, & secundus recepit Auctoritate Apostolica confirmationem ab Hospitalario sancti Spiritus Ulmæ die nona dicti Mensis, cum nemo iterum compareret, qui post solenne Electionis publicationem vellet aut posset contradicere. Rexit laudabiliter duodecim annis, ad normam justitiae. & æquitatis leges conformans mores suos. Utilitatem Monasterii sui semper præ oculis habens, nec in adversis generositas animi illum destituit. Nobilitatis suæ semper memor, ab humilitatis tamen via nunquam deflexit. Nihil per tot annos sui regiminis detegere potuit posteritas, quod jure carperet. Multis tamen infirmitatibus obnoxius Coadjutorem accepit Matthæum Zimmermann anno Domini 1479. die tredecima Mensis Februarii Indictione duodecima sub Sixto IV. Pontifice Maximo sub conditionibus sequentibus: Ut *Primo* antequam adiret Coadjutoriaæ officium, solitum præstaret Juramentum in manus Magistri Hospitalarii S. Spiritus in Ulma; *Secundo* ut de gestis administratisque expositis & sublevatis singulis per eum Vdalrico Præposito & Conventui qualibet Angaria reddere rationem teneatur; *Tertio* ut ipse de ipsis Monasterii fructibus redditibus & proventibus juxta labores ratione sua Coadjutoriaæ hujusmodi sumptus tantum destinatos recipiat, competentes & condignos, portione etiam præfato Vdalrico Præposito congrua, & pro sua decenti & honesta sustentatione danda salva. Post Assumptionem Coadjutoris annum integrum vix complevit, obiit enim anno Domini 1480. in Octava sancti Laurentii Paralyti tactus.

Perillustris Patritiorum Familia de Kraft, quæ antiquitate generis nulli ex Ulmensibus cedit, ab anno 1280. in civitate nostra ad moderna usque tempora florem conservavit: magnis meritis Reipublicæ profuit: publica suis virtutibus ornavit officia, virisque in omni genere conspicuis Suevicae Nobilitati ornamento fuit, notiora sunt in historia Patriæ, Conradi, Ottones, Frobenii, Raymundi, aliorumque nomina, quam ut commendatione mea indigeant. Nostra adhuc ætate libris pretiosis abundantissimam Bibliothecam litteratorum commodis ac usibus publicam & omnibus patentem non tantum liberalissimi Mecenates servant, sed & annua ejusdem incrementa maximis sumptibus alunt. Cæterum linea ex his duntaxat unica non interrupto tramite Religioni Catholicæ firmiter adhæsit, quæ ista scribimus tempore avitæ Fidei zelo insigniter se commendat. Prædicatorum, quod olim intra mœnia nostra floruit, cœnobium, piissimis Progenitoribus hujus Familiae primordia debet, teste Felice Fabro hujus Asceterii olim Inquilino qui in historia Suevorum Libro 2. pag. 244. sequentia adnotavit: Anno Domini MCCLXXXI. venerunt Ulmam Fratres Prædieatores, locum pro Monasterio querentes. Quibus contulit quedam devota Christi familia dicta Mechtildis Hänrein hortum suum juxta hospitale. Et insignis vir dictus antiquus Kraft actu scriba Domini Imperatoris fundatorem se exhibens fratres ut filios charifimos sovebat, cuius adiutorio Ecclesiam, & Conventum ædificabant, Et spatium satis magnum civitatis acceperunt illi fratres.



PERIO-

## PERIODUS II.

## CAPUT VI.

Matthæus Zimmerman Præpositus XX, ac Vitus Præpositus  
illius Successor,

§. I.

Matthæus in Præpositum assumptus sui Collegii visitationem  
imperat,

**M**atthæus Zimmerman, postquam viam omnis carnis adiit Udalricus, in illius locum anno 1489. assumptus est inter Præpositos locum XX. consecutus, et si Coadjutoria; suæ tempore se minus commendasset suis Confratribus, partim ob nimium, quo disciplinam urgebat, rigorem, partim ob sumptus in reparationem ripæ Danubii, quam Erbaci novo aggere propter iminentium damnorum pericula munire debuit, impressos, qui videbantur nimii, unde murmuratores plures habuit, nec leves persecutions ab iis sustinuit. In administratione rerum temporalium non quidem negligens erat, sed successus habuit minus felices, & ære alieno, licet modico, grayare cœpit commissam sibi domum, quæ causa fuit plurimarum querelarum. Veneratio subditorum, ac ebedientia ipsi debita indies minuebatur. Huic malo ut mederetur, varia consilia initit præfertim cum Ludovico Fuchsio qui SS. Theologiæ Magister Ord. Prædicatorum in Vlmensi Dominicanorum cœnobio Priorem egerat, viro egregie quidem scientiæ cæterum minoris discretionis, quæ tamen corrupto illo ævo summopere erat necessaria. Ex hujus viri consilio Matthæus animum intendit reformati suos Canonicos, ac nihil non egit, ut, postquam in suas partes traxisset etiam Vlmensem Magistratum, illius auxilio Visitatio Wengensis cœnobii impetraretur per Apostolicæ Sedis Legatum Raymundum Piraudum, eo tempore Francofordiæ morantem. Cum resista ageretur, primo clanculum brevitatem ad Capituli aures delata est, quod mox omnibus viribus his Præpositi conatibus se opposuit. Atque inter Capitulares præfertim quatuor erant, Wilhelmus Burgemaister Nobilis de Deycisow, Sixtus Vogt, Ludovicus Mistkoch, & Alexius Renz, qui palam propterea Matthæo denuntiabant bellum & apertis contra illum insurgebant odiis. Hi nihil boni ex visitatione futura sibi promittentes a Monasterio profugi Constantiam, Creuzlingamque adiere, ut causæ suæ invenirent patrocinium. Sed jacta jam erat alea. Firmus in sententia sua stetit Matthæus. Consensit in petitionem illius, ac Magistratus, Francofordiæ pontificius Legatus, ac Wengense cœnobium visitandi auctoritate Apostolica Commissio data est Reverendissimo Præsuli Undendorffensi in Bavaria Udalrico Brodkorb, quem virtutum fama non tantum Bavaris, sed & Suevis multum commendaverat. Hic post aliquam tergiversationem, & impetratam a Serenissimo Electore Bavaricæ, & Frisingensi Episcopo licentiam sequenti publico Instrumento anno Domini 1489. exequenda Apostolicæ Commissionis suæ fecit. Initium.

Udalricus Præpositus Monasterii Canonicorum Regularium Ordinis St. Augustini in Undendorff Frisingensis Diæcesis Commissarius, & ad infra scripta specialiter deputatus universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thessaurariis, Sacristis, tam Cathedralium, quam Collegiarum Parochialium Ecclesiæ Rectoribus seu loca tenentibus eorundem Plebanis, Viceplebanis, Capellaniis, Curatis & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altaristis, cæterisque Presbyteris & Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuscumque per civitatem & Diæcesin Constantiensem, ac alias ubilibet constitutis, & eorum cuilibet in solidum

Z z z z

dum

dum, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint Salutem in Domino, & nostris hujusmodi imo verius Apostolicæ obedientiæ mandatis. Noveritis, quod nuper Reverendissimus Dominus Dominus Raymundus Peyraudi Archidiaconus Alnisiensis in Ecclesia Xandonensi ad Alemanniam Sanctissimi Domini Nostrri Papæ & Apostolicæ Sedis cum plena potestate Legati de Latere, Nuntius & Orator quasdam Commissionis litteras per certum quendam Nuncium nobis præsentari fecit, quas nos cum ea, qua decuit, reverentia recepiimus, quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum est talis:

Raymundus Peyraudi Archidiaconus Alnisiensis in Ecclesia Xandonensi, Magister in Theologia, Sanctissimi Domini nostri Papæ Protonotarius ac Referendarius domesticus, ad Alemanniam universaque, & singula, Provincias, civitates, terras & loca Germaniæ Sacro Romano Imperio, & illius Electoribus &c. subiecta, ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Apostolicæ Sedis cum plena potestate Legati de Latere Nuntius & Orator Venerabilibus viris Dominis in Undensdorff & in Symdelfingen Frisingensis & Constantiensis Diæcesis Monasteriorum Præpositis, per Præpositos gubernari solitorum Salutem in Domino. Ex injuncto nobis ab Apostolica Sedi benignitate Legationis munere solicitudine pulsamur assidua, ut Ecclesiarum, nec non Monasteriorum & Regularium locorum omnium, præferentim infra metas meæ Legationis constitutorum, profectibus intenti in Spiritualibus & temporalibus votivum Auctore Domino suscipiant incrementum, summvendo noxia, & agendo profutura. Ita quod inibi devium fuerit, ad rectitudinis callem regularemque observantiam concedente Domino educatur. Sane fide dignorum relatione quod non nisi cum amaritudine cordis accepimus nobis innotuit, Canonicæ Monasterii in Insulis vulgariter in Wengen Ulmæ per Præpositum soliti gubernari Ordinis St. Augustini Constantiens. Diæcesis licentiata pariter & postergata regularis disciplinæ, ac bene vivendi norma, nec non votorum per eos in sua professione emissorum immemores, amplexoque mundanarum illecebrarum æstu, & ubi rite & bene vivendi & altissimo in suavi Religionis & contemplationis jugo famulandi normam præbere, ac vitam exemplarem ostentare deberent, vitam ducunt admodum dissolutam, & regularibus prædicti Ordinis institutis longe absimilem, in animarum suarum præcipuum execrabile, ac infandum exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur nolentes præmissa, prout nec velle debemus conniventibus oculis diutius tollerare, sed animas Deo glorioso lucrifacere cupientes, discretioni vestræ, de qua in his speciale in Domino gerimus fiduciam, per hæc scripta sufficieni ad hæc ab eadem Sede per ejus litteras potestate muniti committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum ad Monasterium ipsum personaliter accedentes sive accedens illud super præmissis, & aliis opportunitis, & tam in capite quam in membris Auctoritate Apostolica, qua quoad hoc per speciales Sanctissimi Domini nostri Domini Innocentii divina Providentia Papæ Octavi litteras fungimur, visitetis, nec non de vita ac moribus, ritu & consuetudinibus, ac aliis decentibus ac convenientibus, necessariisque Venerab. Viri Domini Mathæi Præpositi, singulorumque Canonicorum & Personarum memorati Monasterii vos informetis: nec non vitia ac quæcumque deformata inibi repereritis, abrogetis & extirpetis, vitam, mores, & actus reformatis, virtutesque inseratis, & insuper ipsum Monasterium, ac illius Præpositum, Conventum ac singulares personas ad regularem juxta, & secundum ritum & normam ac regularia præfati Ordinis & sanctorum Patrum instituta, observantiam reducatis, cæteraque omnia & singula circa ea necessaria, seu quomodolibet oportuna geratis, faciatis & exequamini. Nec non Contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas compescatis. Etsi opus fuerit, auxilium brachii secularis ad hæc eadem Authoritate invocetis. Super quibus omnibus & singulis vobis plenam & liberam tenore præsentium facultatem elargimur, & etiam potestatem controversias & lites super hoc inter Præpositum & Canonicos, nec non alias Personas hujusmodi in ipso Monasterio subortas extinguendo. Non obstantibus omnibus quæ Sanctissimus Dominus Noster in litteris super hoc Nobis concessis hujusmodi voluit non obstare cæterisque contrariis quibusunque. In quorum fidem & testimonium præsentes litteras fieri, nostrique Sigilli jussimus appensione muniri. Datum Francordiæ Maguntinensis Diæcesis anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, septimo Kal. Julii Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ anno Quinto.

Auctori-

Auctoritas vero dicti Domini Oratoris nobis in quadam Copia per duos Notarios suos cum veris litteris Apostolicis collacionata, & eorum manibus signata atque subscripta nobis transmissa, cuius quidem Copie principium: Innocentius &c. Dilecto Filio Magistro Raymundo &c. Clausula vero dictae Copie praesens nostrum negotium tangens talis est: Ac perte vel alium, seu alios quoscunque Collegiales vel Parochiales Ecclesias ac Monasteria & alia ecclesiastica secularia regulae Ordinum quorumcunque loca, nec non studiorum Universitates, & Congregations ac Collegia Clericorum quilibet exempta & non exempta infra tuæ Legationis limites consistentia, eorumque Praelatos & alias personas quaslibet visitandi, & eorum statutis & consuetudinibus, ordinationibus, conclusionibus & moribus inquirendi, illaque si tibi videbitur reformati, ac officia temporalia mutandi, novosque inibi officiales instituendi, ac nova statuta in eis faciendo & condendo, & antiqua mutando & corrigendo, ac reformandi & confirmandi, seu totaliter tollendi, quoscunque mores, ordinationes & conclusiones, de quibus tibi videbitur, evellendi & eradicandi, ac novas per te edendas observare mandandi & faciendo, aliaque in præmissis & circa ea necessaria quomodolibet & oportuna faciendo, disponendi & exequendi, nec non contradictores quoslibet & rebelles per censuras & penas ecclesiasticas etiam pecuniarias in subsidium Xpianorum contra perfidos Thurcos Cameræ Apostolicæ applicandas, compescendi, ac auxilium brachii secularis, si opus fuerit, invocandi &c. Finis vero dictarum litterarum collacionatarum: Datum Romæ apud S.tum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Mille-simo quadragesimo octavo, decimo septimo Kalend. Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

Post eius quidem Commissionis presentationem & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus per discretum Nicolaum Federlin de Ulma Ven. Domini Mathæi Præpositi in ipsis locis commissionis specialiter nominati Procuratorem, prout de sua Procurationis mandato nobis legitima facta fuit fides debita cum instantia requisiti quatenus citationem legitimam unacum inhibitione inserta ad loca contra & adversus quosdam Dominos Wilhelmum Burgermaister, Sextum Vogt, Ludwicum Mistkoch & Alexium Renz in Monasterio Ordinis sancti Augustini ad Insulas, vulgo zu den Wengen in Ultna nuncupato Professos, omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, & in executione præsentium nominandos & alios juxta & secundum prædictæ Commissionis vim formam decernere & procedere dignaremur. Nos igitur Præpositus & Commissarius præfatus attestantes requisitionem hujusmodi fore justam & ratione consonam, volentesque in hujusmodi negotio & causa & in Commissione hujusmodi contenta rite & legitimate procedere ut tenemur. Idcirco Auctoritate prædicta & qua fungimur in hac parte, vos omnes & singulos supradictos & vestrum quemlibet in solidum, tenore præsentium requirimus, & monemus, & primo, secundo, tertio & pereemptorie coiunctim & divisim vobis nihilominus & vestrum cuilibet in virtute sanctorum obedientiae & sub Excommunicationis poena, quam in vos & vestrum quemlibet Canonica monitione præmissa, si ea quæ vobis in hac parte committitius & mandamus neglexeritis seu distuleritis contumaciam adimplentes, in his scriptis districte præcipientes mandamus, quatenus infra sex dierum spatium post præsentationem præsentium vobis, vel alteri vestrum factas, & postquam pro parte dicti Domini Præpositi vigore præsentium fueritis requisiti, vel alter vestrum fuerit requisitus, immediate sequentes, ita tanquam in his exequendis unus vestrum alterum non expectet, nec unus pro alio, seu per alium se excusat: quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, reliquos vero ultimos duos vobis universis & singulis supradictis pro tertio & pereemptorio termino ac monitione canonica assignamus. Præfatos Dominos Wilhelmmum, Sextum, Ludwicum & Alexium, omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, & in executione præsentium nominandos in eorum propriis personis, si ipsorum præsentias commode habere poteritis, aliquoquin in hospitio habitationum suarum, si ad ea vobis tutus pateat accessus, nec non in parochiali seu parochialibus sub qua & quibus degunt & morantur, & præsertim in Cathedrali Ecclesia Constantiensis aliisve Ecclesiis & locis publicis quibuscumque ubi, quando & quoties expedierit, infra Missarum & horarum canonicarum solemnia, dum ibidem populi multitudo ad divina audiendum convenerit, vel alias legitimate congregata fuerit ex parte nostra, imo verius dicti Domini Oratoris ac Apostolica Auctoritate, alta & intelligibili voce pereemptorie citare curetis, ita tanquam verisimile sit citatio-

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,

A a a a a

nem

nem vestram hujusmodi ad ipsorum citandorum noticiam indubitatem devenire, Quos etiam & eorum quenlibet tenore præsentium sic citamus quatenus decima quarta die post citationem vestram hujusmodi per vos vel alterum vestrum eis factam immediate sequente scriptura juridica fuerit alioquin alia die immediate sequente juridica in Monasterio ad Insulas vulgo zu Wengen nuncupato Opidi Imperialis Ulmensis Constantiensis Diæcesis mane hora tertiarum legitime compareant coram nobis ad videndum & audiendum procedi ad omnia & singula vigore dictæ Commissionis nobis ut præmititur factæ, ejusque effectum exequi certificantes eosdem sic citatos quod sive in dicto citationis termino, ut præmissum est, comparere curaveritis, sive non, nos nihilominus ad omnia & singula in dictæ Commissionis litteris contenta rite ac debite prout justum fuerit procedemus, dictorum citatorum contumacia in aliquo non obstante. Et insuper attendentes, quod causa atque hujusmodi negotium juxta dictæ Commissionis effectum nobis commissa sive commissum indeterminatim Pendend nihil sit innovandum seu attentandum vobis universis & singulis supradictis, quibus præsentes nostræ litteræ diriguntur, & cuilibet vestrum auctoritate supradicta tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus post legitimam dictæ citationis executionem Rdo in Xo Pri & Domino Domino Ottoni Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Constantiensi, ejusque in Spiritualibus Vicario & Officiali generali, ceterisque iudicibus delegatis, Ordinariis Extraordinariis quibuscumque per civitatem & Diæcesin Constantensem prædictis & alias ubilibet constitutis, & præsertim dictis Dominis Wilhelmo Sixto, Ludwico, Allexio, omnibusque aliis & singulis, quorum interest, intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum quibuscumque nominibus censentur & quacunque præfulgeant dignitate. De quibus pro parte dicti Domini Præpositi fueritis vigore præsentium requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus inhibeatur, Quibus etiam & eorum cuilibet nos tenore præsentium inhibemus, ne ipsi seu alter eorum in vilipendium nostræ Commissionis itno verius Apostolicæ Sedis contemptum, dicti Præpositi ac Monasterii ad Insulas præjudicium & jacturas in causa & negotio antedictis per se vel per alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quæsito colore innovare seu attentare præsumant, aut præsummat. Quodsi secus factum fuerit id totum revocare & in statum præscirum reducere curabimus justitia mediante. Diem vero seu dies citationis & inhibitionis vestrarum hujusmodi atque formam & quidquid in præmissis feceritis nobis per vestras litteras patentes aut instrumentum publicum a tergo præsentibus aut alias conscriptum remissis præsentibus quantocius potueritis fideliter intimare curetis. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatam nostræ Excommunicationis sententiam incurrerint sive incurrerit quoquo modo nobis vel in hac parte superiori nostro, tantumodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem testimonium præmissorum patentes litteras sive patens publicum instrumentum, hujusmodi nostram citationem & inhibitionem in se continentis sive continens exinde fieri & per Notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, Sigillique nostri jussimus & fecimus appensione communiri. Datum in Monasterio nostro Undendorf sub anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, die vero decima nona Mensis Julij. Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno sexto, inductione septima, præsentibus tunc & ibidem providis Chunoaldo Mändel, Johanne Vischer Officialibus nostris testibus ad præmissa vocatis pariterque rogatis.

Et ego Johannes Gross Presbyter Frisingensis Publicus Imperiali auctoritate Notarius. Quia præmissorum citationi, inhibitioni, sigillique appensioni atque decreti nec non omnium & singulorum in ipsis terminis citatorialibus atque inhibitorialibus contentorum unacum prænominatis Capitularibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideo ea in notam recepi, ex qua hoc præsens publicum instrumentum veram Commissionem in se contiens manu alterius, ne aliis præoccupato negotiis, fideliter scriptum examinavi, censui & in' publicam formam redigi, signoque & nominibus meis solitis & consuetis, unacum prænominati Domini Commissarii atque Præpositi Sigilli appensione signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum specialiter rogatus atque requisitus.

(L.S.)

Ego

Ego Ludwicus Fridbolt de Constança publicus sacra Imperiali Auctoritate Notarius, quia ex parte Ven. Domini Mathei Præpositi Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini Monasterii vulgo zu den Wengen in Ulma nuncupati, principalis in retroscriptis citationis litteris unacum inhibitione inserta principiiter nominati, debite requisitus, easdem litteras Venerab. & Relig. Dominis Wilhelmo Burgermaister & Alexio Renz ejusdem Ordinis, anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, inductione septima, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Innocentii Divina Provocatio Papa Octavi, anno ejus sexto, die vero vicesima octava Mensis Julij, & ejus hora undecima, vel quasi cum meridie, in civitate Constantiensi, & ibidem in domo providi Francisci Rottengatters hospitis activi, & stuba majori ejusdem domus in præsentia discretorum virorum Johannis Korn de Rotenburg & Conradi Gaps de Reitlingen intimavi ipsoque quo supra nomine ad mentem earundem litterarum citavi, & eis inhibui, ac illas omnes juxta earum formam in omnibus & per omnia fideliter executus fui, ac ipsis copiam cum originalibus auscultatam, & concordantem manu mea propria subscriptum tradidi & assignavi, idcirco huic meæ relationi manu mea propria siccæ signum meum apposui rogatus, ut præmittitur, & requisitus.

(LS.)

## §. II.

## Visitationis Effectus. Resignatio Matthæi.

Reverendissimus Vndensdorffensis Præpositus elapsò juridicæ citationis termino Vlmam in die sancti Cyriaci Martyris eodem anno veniens, ac Commissioni a pontificio Legato ipsi demandatae satisfacere volens, assumpto secum Reverendissimo Conrado Abbe in Wiblingen, F. Ludovico Fuchs Priore Ordinis Prædicatorum in Vlma, Heinrico Nithard Ecclesiæ Parochialis Plebano, J. U. Doctore & Joanne Hospitalis sancti Spiritus Rectore, visitationi coenobii nostri fecit initium. Ex citatis contradictoribus duo tantum intra præfixum terminum comparuere, Sixtus Vogt, & Ludovicus Mistkoch. Fere per septem dies integros duravit visitatio, variaeque ordinationes factæ sunt, quos Commissarii Apostolici judicabant & disciplinæ religiosæ, ac Canonicorum Regularium Ordini conformes, abusus plures abrogati, ac melior sacra Regula observantia omnibus commendata. Pro Reformationis introductæ conservatione opportunum judicavit Vdalricus aliquos ex Vndensi suo Collegio Canonicos vocare Vlmam, qui cæteris bono præirent Exemplo, quod mox per litteras præstitit adhuc subsistens Vlmæ sub pena Excommunicationis mandans, ut Dominus Vitus Tœsel, D. Caspar Steinmaier, D. Gregorius Trincker, D. Georgius Lieber absque mora se sisterent Vlmæ. Audiamus quid haec super re adnotaverit unus ex his Canonicis: *Obedientes, scribit, in die sancti Agapiti Martyris exivimus in curru duci, & vedi per Nuntium & famulum civitatis Vlmensis Nicolaum Winschel, & in die S. Bernardi venimus Vlmam, & hospitati ad Plebanum Heinricum, & sequenti die præsentati sumus per Præpositum nostrum ad dictum Monasterium, ibique sic remansimus eadem nocte Præposito ex Vndensdorff a nobis recedente. Sequenti die, qui erat Sabbathum, & octava Assumptionis B. Mariae Virginis adstricti & quasi coacti fuimus nobis multum renientibus, & flentibus profiteri antiquo Prælato Matthæo Zimmerman, multis promissionibus ac suasionibus seducti per præfatos Præsidens videlicet Præpositum ex Vndensdorff dictæ causæ Commissarium & Abbatem in Wiblingen & Ludovicum Fuchs. Hoc tamen nobis fuit admisum, per prædictos Præsidentes & Commissarium Apostolicum, si non possemus amplius in eodem Monasterio Insularum stare & manere, quod nobis pateat liber regressus sine omni contradictione Prælati Insularum ad Monasterium in Vndensdorff. Hic tandem Præpositus Matthæus post hanc Reformationem inchoatam perficit adhuc in Prælatura sex septimanis tantum, id est, ab Octava Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis & de facienda resignatione consilium inire cœpit, considerans ætatis suæ, & senii imbecilitatem. Redierunt Visitatores hunc in finem in Profecto sancti Michaelis pro susceptione Resignationis Prælaturæ Matthæi. Sed haec prædicta & dilata rursus fuit usque ad diem sancti*

A a a a a 2

Remi-

Remigii quo die libere resignavit in manus Conventus Præposituram anno 1489. petita & concessa honesta pensione. Tempore Visitacionis a Commissario Apostolico constitutus fuit in Decanum D. Vitus Toesel, D. Casparus in Subdecanum, D. Georgius Trinckler in Sacristam, D. Georgius Lieber in Magistrum Novitiorum, & F. Seifridus conversus in Cellarium.

Sed quid cum contradictoribus, & Adversariis D. Præpositi est actum, quem finem habuere illorum motus? sequentia de illis lego: Wilhelmus Burgermaister Presbyter alias dictus Ditzesow nobilis ante adventum Visitatorum sub Matthæo Præposito anno Domini 1489. exiit Monasterio adiens Episcopum Constantiensem atque Abbatem in Creuzlingen, ibidem quærens sibi fidem & defensionem, multis Monasterium & Prælatum insidiis infestans, cupiens Reformationem impedire. 220. Florenorum contracto debito proscriptus est a Monasterio. Alexius Renz Presbyter & compars in negotio prædicti Wilhelmi post receptam ad solvenda debita pecuniam a Monasterio pariter ab Ottone Episcopo Constantiensi proscriptus adiit curiam Romanam ibique impetravit licentiam sub habitu sacerdotum possidendi Beneficium sacerdotale eodem anno 1489.

Sixtus Vogt qui dum mansisset in observantia per annum solutis suis debitibus per Prælatum Vitum scilicet sexaginta florenorum obtenta licentia professionem fecit in Beuren eodem anno.

Ludovicus Mistkoch qui pariter per annum post Reformationem mansit sub obedientia post solutionem debitorum suorum per Prælatum factam recessit a nostro Monasterio, & Professionem fecit in Oeningen,

### §. III.

#### Acta ante & post Resignationem Matthæi. Eiusdem Mors.

**T**am ante, quam post Resignationem suam hic Præpositus multa utilia præstitit Wengensi cœnobio. Novam pro Præpositis construxit habitationem: procuravit aliquot Scyphos ex argento, & duo parva vascula ex auro, de proventibus annuæ suæ pensionis pyxidem argenteam pro sacra Evcharistia conservanda. Construi fecit Emporium medium inter Ecclesiam & Chorum, ut tempus quietis suæ, & a curis Præpositoræ vacuus utiliter collocaret propria manu, & eleganti Charactere scripsit in membrana S. Gregorii Dialogorum libros in Folio, qui adhuc conservantur in Bibliotheca nostra. Post Resignationem a se factam nemini molestus, sed quietis folius suæ animæ invigilavit saluti, & per annos tredecim adhuc in vita superstes multa tandem senectute confectus ex hac vita migravit anno Domini 1502. sepultus in Choro cum aliis Prædecessoribus suis, cui requiem æternam precamur in cælis.

### §. IV.

#### De Vito Præposito XXI.

**V**itus Toesel, dictus de Austria, ex illo Undensium Canonicorum quaternario fuit, quos hoc ipso anno 1489. Reverendissimus Vdalricus Brodkorb Wengensi Canonice inseruit. Vitus a Visitatoribus in Octava Assumptionis in Decanum electus fuerat de sua Resignatione nihil adhuc cogitante Matthæo. Ab hoc tempore Decani Wengensis Electio initium habuit, quæ etiamnum viget, ac in usu est. Post Resignationem Matthæi per modum compromissi in die sancti Leodegarrii assumptus est in Prælatum Número XXI. atque eodem die contra morem hactenus consuetum a Joanne hospitalis S. Spiritus Rectore confirmatus. Die S. Gallo dicata præcesserunt DD. Capitulares ad novam Electionem Decani, qui pluriitate votorum conspirarunt in D. Casparum Steinmaier qui in conservanda regulari observantia Vito erat manus altera. Hic Præpositus fuit quidem mediocris adhuc ætatis, maturitate tamen morum excellens, ac per Visitatores introductarum ordinationum severus custos, qui ad sacræ Regulæ normam omnia solebat exigere, in omnibus tamen simul discretioni competenti utebatur. Rebus œconomicis pari sedulitate consuluit. Ad perpetuos census variis personis obligabatur Collegium, a quo onere tamen ac molestia illud feliciter liberavit. Annos 20. florenos perpetui census Heinrico Teuffelio florensis 400. redemit. Matthæo Kobbold debebantur annua-

annuatim 15. floreni, ad quos pariter perpetuo eramus obligati, ab his pariter solutione 3000. florenorum Collegium fecit liberum. Florenis 300. novam testudinem Choro imposuit, quæ vitium prius fecerat 100. florenis nova psallentium & orantium scamna Choro intulit. Novum construi fecit Balneum, novam pro Janitore domunculam, præter alia minora ædificia, præsertim talia, quæ juxta intentionem Reformatorum conservandæ disciplinæ apta credidit. Vestiarium omnibus rebus pro Confratrum necessitate instructissimum multis sumtibus adornavit. Sed ut omnia hæc præstare posset, horreum illi frumento dives, ab Antecessore relictum subSIDio fuit. Nova etiam incrementa sensit Ecclesiæ sacra suppelleX, sive ex largitione Piorum, præsertim Jodoci Stamleri Nobilis Ulmensis apud nos sepulti, & Danielis Geigeri artium Magistri ejusque Matris, sive ex propriis Monasteri redditibus, tam calicibus quam vestium sacrarum apparatu, pretiosisque Altarium Ornamentis, abundanter provisa. Nempe *Benedictio Domini divitem fecit Prov. 10. v. 22.*, quæ citius non emitur, quam iugi cultus divini observantia, citius non perditur quam illius neglectu.

Lues epidemica, quæ infirmitas, seu vesania capitis dicta est, & omnem Medicorum artem eludebat, anno 1494. grassabatur Ulmæ, & fere indies ultra 50. mortalium rapiebat in tumulum, Vito & Religioso ejusdem cætui miserente Deo pepercit. Plurimum spiritualis roboris devotissimus Antistes noster in piis aliorum precibus, & confraternitatibus posuit. Testimonio esse poterunt confederatum, pectorumque spiritualium litteræ. Anno 1492. fecit bonorum operum communionem cum Parthenone Intzkofensi Canonistarum Regularium, cui tunc temporis præterat Ottilia Præpositissæ functa munere. Anno 1494. ad simile pactum invitavit, & pertraxit Vndensdorffensem Præpositum Reverendissimum Augustinum cum venerabili suo Capitulo. Anno 1495. eodem spirituali vincula Collegium S. Crucis Canonicorum Regularium Augustæ. Tempore Capituli Provincialis Fratrum Ordinis Minorum anno 1494. Ulmæ celebrati cum illorum Monasterio in confraternitatem suam spiritualem Reverendos hosce Patres similiter admisit, qui Vitum, cum suis Confratribus pariter receperunt in suam. Perdurant adhuc receptionis litteræ extincto dudum recipientium Monasterio. Sic illæ habent,

Venerabilibus & religiosis Patribus dilectis Deo & Beato Francisco devotis Præposito Decano cæterisque Dominis ac Fratribus Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini Monasterium ad Insulas intra Muros oppidi Ulmensis Constantiensis Diæcesis . . . Caspar Waler super Fratres Observantiae Ordinis Minorum per Provinciam Argentinensem Authoritate Apostolica Vicarius, quamquam immeritus salutem & spiritualium gaudiorum affluentiam.

Vestræ devotionis affectus, quem ad nostrum geritis Ordinem, exigentia digna requirit, Beneficia nostro collata Ordini a copiosa Clementia Redemptoris nostri vobis generosius impertiri, quapropter vos in nostræ Confraternitatis consortium recipiendo: vobis omnium Missarum, Orationum, Prædicationum, Jejuniorum, Vigiliarum, Abstinentiarum, Laborum cæterorumque Bonorum, quæ per fratres & sorores nostri Ordinis in dicta Provincia seu Vicariatu Author omnium bonorum operum Dominus noster Jesus Christus fieri dederit, quantum beneficia vestra promerentur, participationem concedo tenore præsentium, speciale in vita, pariter & morte, ut in multiplici Suffragiorum adjuti præsidio & hoc argumentum gratiæ & in futuro mereamini æternæ vitæ præmia possidere, in cuius rei testimonium Sigillum officii mei præsentibus duxi appendendum. Data in Conventu nostro Ulmensi tempore nostri Capituli Provincialis super Dominicæ Jubilate celebrati anno Domini Millesimo quadragesimo Nonagesimo quinto.

Ex Laicalium quoque Confraternitatum Catalogis (quarum una fabrorum erat sub Vito cum Altari fundata) inscriptorumque, multitudine desumi potest quo zelo, & fructu hæc pietatis adminicula promoverit.

## §. V.

Contra Detentionem Decimarum in Foro judiciali obtinet victoriam.

**N**on postremum Divini favoris argumentum fuit obtenta in Curia Augustana a Vito contra injustum Decimarum Detentorem decisiva sententia. Georgius Widenmann erga Wengense cœnobium iniquo accensus odio, multis Vexis, ac litigiis tranquillum Viti Regimen turbaverat. Præsertim contra Jus, fasque denerare cœpit Decimas ex suis agris in Ballendorff ac loco Dickenberg satis, ad Collegium nostrum ex justo titulo pertinentes, solvere. Succubuit tamen in judicio Augustanæ curiæ, ac Vito Præposito adjudicata est anno 1491. Victoria. Hæc autem fuit Judicium sententia.

Nos Judices curiæ Augustensis, recognoscimus & notum facimus universis & singulis præsentes litteras inspecturis, quod inter Religiosos viros Dominos Præpositum & Conventum Monasterii ad Insulas vulgo , zu den Wengen , appellati , Canonicorum Regularium in Ulma Constantiensis ex una , & quendam Georgium Widenmann in Ballendorff Laicum Augustensis Diecesis , de & super Decimis infra scriptis , & illorum occasione reum , sive defendantem , partibus ex altera materia quamvis causaque hujusmodi legitime introducta , proidoque viro Magistro Johanne Bair in Decretis Licentiato curiæ Augustensis & ipsorum agentium Syndico , & Procuratore generali de cuius Syndicatus officio , seu procationis mandato nobis legitima extitit facta fides ex una & præfato defendantem partibus ex altera coram nobis in figura Judicii personaliter constitutis. Idem Syndicus seu Procurator , & ex eo nomine legitimum in modum summariae petitionis potuit ipsum reum ad solutionem Decimarum , Fructuum , provenientium ex agris in loco vulgo in Dickenberg appellato situatis per nos cogi & compelli , ex eo quia afferuit quod hujusmodi agri infra limites Ecclesiæ parochialis , vulgo Ballendorff appellatae ; quæ quidem Ecclesia ipsis agentibus cum omnibus Juribus & pertinentiis suis , & eorum Monasterio fuit , & est rite incorporata , situentur , cuius quidem incorporationis vigore omnes & singulæ Decimæ tam maiores quam minores sub ejusdem Ecclesiæ limitibus provenientes spectarunt , & pertinuerunt , spectentque & pertineant ad agentes ; de quibus quidem agris reus quamvis sèpius requisitus fuerit , Decimas agentibus dare , & persolvere hactenus recusavit , prout de præsenti recusat . Ex adverso vero reus animo litem cotestanti negavit , narrata , prout narrabantur , petivitque petita ex adverso fieri non debere , sed se ab impetitione legitime absolvit ; lice igitur , ut sic rite contestata , juramentoque calumniæ hinc inde tacite obmissæ , nonnullis etiam positionibus & articulis effectum prænarratum in se continentibus pro parte agentium coram nobis facto realiter , & in scriptis exhibitis atque productis , eisque in quantum positionis ex adverso responso in quantum vero articuli existebant nonnullis testibus super illis coram certo nostro ad hoc deputato Commissario productis & diligenter examinatis : Defendens præfatus certos articulos in vim Juris sui coram nobis facto realiter & in scriptis exhibuit atque produxit , quibus etiam per nos ad probandum admissus , nonnullis etiam testibus super illis coram certo alio ex Commissariis nostris ad hoc deputato productis & diligenter examinatis , & tandem servatis ulterius hujusmodi in causa rite servandis usque ad ipsius causæ conclusionem inclusive legitime processio.

Nos nunc Judices præfati Procuratore & Defendantem præfatis certo alio ad hoc statuto termino coram nobis personaliter constitutis & sententiam definitivam per nos fieri postulantibus , visis per nos primitus & diligenter inspectis omnibus & singulis actis & actitatis præsenti in causa coram nobis factis & habitis ipsisque cum debitum maturitate & diligentia recensitis , communicato nobis defuper Jurisperitorum consilio , nostram tulimus , & promulgavimus definitivam sententiam talis modi sub tenore :

Christi nomine invocato pro tribunali sedentes , & solum Deum præ oculis habentes de Jurisperitorum Consilio , & assensu per hanc nostram diffinitivam sententiam , quam his scriptis fecimus , pronuntiamus , decernimus , & declaramus omnes & singulos Decimas ex campo seu agris Dickenberg nominatis , de quibus in actis ad venerabilem Patrem Dominum Præpositum & Conventum Monasterii Cano-

Canonicorum Regularium ad Insulas in Vlma ratione Ecclesiae Parochialis Ballendorff ipsis incorporatae spectasse, & pertinuisse, spectareque & pertinere de jure, ipsasque præfatis Dominis Præposito & Conventui adjudicandas fore & esse atque adjudicamus, nec non ipsi reo in eisdem nullum unquam Jus competuisse, neque competere. Quocirco molestationes, perturbationes, inquietationes & impedimenta per eundem reum dictis Dominis Præposito & Conventui factas & præstitas facta & præstita fuisse & esse injustas, temerarias, iniquas, & illicitas, injusta, temeraria, inqua & illicita, illasque & illa sibi minime licuisse, nec non eidem super illis perpetuum silentium imponendum fore & imponimus, expensarum tamen litis condemnationem ex rationabilibus causis animos nostros moventibus omittentes. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum prælentes litteras exinde fieri, nostrisque Sigilli iussimus, & fecimus appensione communiri, lecta, lata, & in scriptis protulgata est hæc nostra definitiva sententia, nobis Augustæ loco Consistoriali solito ad jura reddenda, & causas audiendas mane hora audientia consueta causarum pro tribunali sedentibus sub anno a Nativitate Domini Millesimo quadragesimo nonagesimo primo, septimo Kalendas Aprilis.

## §. VI.

Libri a Vito Præposito, & Caspero Decano procurati.

**L**ibrorum & Codicum curam singulariter commendavit Sanctissimus Legislator noster Canonicis suis Clericis morti jam proximus. Vitus Præpositus tantam pariter Curam Librorum ac Codicum semper habuit, ut Bibliothecam Collegii, adhuc parvulam pluribus Libris magnis Sumptibus ditarit. In Bibliophilorum gratiam integrum illorum Catalogum, ab antiquis quoque nostris Fratribus diligenter adnotatum, hoc transscribo. Emit enim,

*Corpus Bibliorum* magnum impressum bis, alterum in forma octava pretiosum in pergamo scriptum; quod adhuc servatur inter Bibliothecæ nostræ Cimelia. *Nicolanum de lyra* super Bibliis in quatuor Voluminibus, *Holcot* super libro Sapientiæ. *Bonaventuram* super libros Sententiarum duas partes: *Summam Antonini* quatuor partes. *Decretum* cum apparatu: *Quinque Libros decretalium* cum apparatu. *Clementinas* cum apparatu. *Cassiodorum* super Psalterium. *Mamatredum* *Vocabularium* scriptum. *Augustinum de civitate Dei & SS. Trinitate*. *Opera S. Anselmi*. *Vitas Patrum*. *Chronicam* modernam cum signis. *Sermones Discipuli* de tempore, & de Sanctis, cum promptuario, & super Epistolas Dominicales. *Sermones Vade mecum*. *Sermones tres notabiles de Passione Domini*. *Jordanum pe Pas- sione Domini*. *Meditationes Bernardi* cum aliis tractatibus. *Libros horarum Canonarum* secundum Clerum Constantensem duas partes, quos bis emit. *Missalia* quinque tam secundum chorum Romanum quam Constantensem. *Augustinum* super Epistolas Joannis, in quinquaginta homiliis. *Sermones ejusdem ad Fratres Eremitas*.

Subscriptos libros fere omnes temporibus suis eo consentiente, & annuente comparavit D. Caspar Decanus. *Expositionem Regulæ S. Augustini* editam ab Ambroso Coriolano: *Opera S. Augustini*. *Confessionale Antonini*. *Herbarium* seu Hor. tulum sanctitatis. *Formularium vulgare Astrolabium* ad planum. *Missale Romanum*. *Missale Speciale*. *Missale* magnum impressum secundum Chorum Constantensem. Aliud *Missale* in eadem quantitate. *Catonis moralia*. *Bartholomeum Anglicum* de proprietatibus rerum. *Isidorum de summo Bono*. *Quæstiones de celebra- tione Missæ*. *Prognosticon* quoddam notabile. *Choream mortuorum*. *Sermones Alberti de Padua*. *Psalterium* cum communi Sanctorum, secundum Chorum Constantensem bis, *Formicarium* Nider. *Scalam cæli*. *Manuale Parochialium* Sacerdotum *Manipulum* Sacerdotum. *Fraternitatem* Clericorum. *Plenarium Evangeliorum*. *Tra- Etatum de imitatione Christi*. *Præcordiale* Sacerdotum. *Vocabularium Prædicantium*. *Dialogum de celebratione Missæ*. *Tractatum de Conceptione Mariæ Virginis*: *Statuta Synodalia* & *Provincialia*. *Libellum de ascensionibus gradum*. *Psalterium* in parva forma. *Cursum hebdomadalem*. *Grammaticam novam*, bis. *Tabulas Alfonsi*. *Historiam Lombarticam* in pergamo majusculis literis conscriptam. *Speculum Rheticæ*. *Sermonum apparatus*, *Scriptorium* super Lyram. *Summam Angeli- cam*

B b b b b 2

cam. *Lavacrum conscientiae. Historiam Melusinæ. Historiam Apolonii. Paradisum animæ. Sermones Thami de tempore & Sanctis, cum tempore quadragesimali. Exceptiones Wernheri Abbatis. Opera Joannis Chrysostomi. Scriptum Ockam Anglii in primum librum Sententiarum. Arborem seu Alphabetum divinæ dilectionis. Elucidarium de mirabilibus mundi. Commentaria in Theoriam Planetarum. Donatum de arte loquendi. Itinerarium B. Mariæ Virginis. Postillam M. Nicolai de Dinckelsphile. Summam dubiorum in Compendio. Tractatum de arte calculandi. Medicinale. Sermones Peregrini de Sandis scriptos. De miseria Curatorum. Navim fatuorum. Arborem consanguinitatis. Modum latinitatis. Codicem Justiniani. Librum notabilem, Rationale divinorum Officiorum. Egidium de Regimine Principum. Vocabularium scriptum cum pluribus aliis ibidem contentis. Militem de turri. Sermones Dominicales Antonii de Utino. Modum legendi scripturam. Regimen sanitatis. De aquarum distillatione. Epistolas Cypriani. Formularium Advocatorum. De Diœcœbus totius Christianitatis. Descriptionem mortuorum in corpore. Librum sermonum de tempore antiquum. Humbertum in Regulam S. Augustini. Sermones de filio prodigo. Biblia aurea impressa. Sermones de Sanctis. Hugonis de prato viridi. Tractatum de Martyrio. Opera Thomæ Kempensis. Humbertum de tribus essentialibus, cum aliis duobus tractatibus, & plures alias tam Ecclesiasticorum, quam profanorum libros. Quos si in specie nominare vellim, tædio forsitan afficeretur Lector. Sic concludit hunc Librorum Catalogum Reverendissimus Joannes, qui sub Vito Præposito vixit. Epiphonemate adjecto veritatem omnino attigit: haud dubie enim Librorum osores, ac nonnulli Scioli cum tædio legerint illum, majores tamen gratias habebunt propterea Eruditiores ac litterariorum Historicæ amantes, qui optime norunt quanta ex hujusmodi vetustis Catalogis eruditi hauriant subsidia, Canonici Wengenses ex enumeratione horum librorum discent, quos successu temporis amiserint, & a quibus codices adhuc extantes acceperint,*

### §. VII.

#### Morbus, Resignatio, ac Obitus Viti Præpositi.

**V**itam clinicam plerumque duxit meritissimus hic Præful noster, quotidianis fere infirmitatibus stomachi vexatus. Præterea morborum Dominus, ac Dominorum: morbus, Bodagram intelligo, tantam tyrannidem in illum exercuit, ut per tres quasi integros annos beneficio pedum ac manuum privatus in sella sedens doloribus plenos dies in summa tamen patientia transegerit, illosque finivit. Ante diem tamen sui exitus considerans sui corporis imbecilitatem & infirmitatis gravedinem, pensansque se amplius non posse utiliter præesse, anno 1497. Præposituræ sarcinam in manus Conventus depositus in Vigilia Pentecostes, quæ erat dies S. Servatii Episcopi. sequenti anno cæfum adiit sepultus in Choro versus Austrum juxta januam Sacristiæ.

Bruschius in Chronologia sua pagina 472. Inscriptionem conservavit suo adhuc tempore vetustas in templi parietibus visam. Hæc cum in laudem Viti nostri cedat juvat illam hoc transferre

Vitus Deselius, quem Pannonis ora crearat,  
Præpositus templi providus hujus erat.  
Ille reformavit Clerum hic, construxerat huncque  
Ingenti studio & sedulitate Chorum:  
Quem cum fœdassent tandem quidam undique, nostræ  
Fautores qui non Religionis erant,  
Instauravit eum præclare rursus honestus  
Ambrosius Cautus nomine, Præpositus.  
Quod factum est illo ipso fausto scilicet anno,  
Qui Latii Jubilus dicitur esse Viris,  
Quoque anno electus Romana Præful in Urbe  
Julius, hoc titulo tertius ipse fuit.

PERIO-

## PERIODUS II.

## CAPUT VII.

Joannes II. Præpositus XXII. Michael I. Præpositus XXIII.

§. 1.

Joannes eligitur, ac defenditur a calumniis Illi illatis.

**J**oannes Patria Ulmensis hujus Nominis Secundus, ac in Præpositorum Ordine XXII. in civitate Nonus, Cognomine dictus Mann seu Mannus. Electus est in Fratrum concordia anno Christi 1497. ab Hospitalario S. Spiritus in Ulma Confirmationem ac Investitionem per annuli traditionem ac Bireti impositionem more consueto accepit. Sequenti Elogio simul ac vituperio, a quodam, haud dubie tempore Reformationis adducto maestatus est. Fuit, inquit Scriptor, Joannes mediocris staturæ, homo facetus, humanus, liberalis, & ad res tam serias, quam jocofas tractandas maxime idoneus. Ecce Elogium! In rebus autem divinis, pergit, administrandis parum diligens fuit, nec usque adeo fidelis Oeconomus; nam, cum crebris convivis, ac nocturnis compotationibus plus aequo delectaretur, non solum annuos redditus inutiliter consumpsit, verum etiam multum teris alieni contraxit. Ecce vituperium, quod utique sufficit ad perimendam illius famam ac bonam exillationem. Verum a veritate omnino aberravit Scriptoris calamus, adiunt enim testimoniū omni exceptione majorū testimonia, quæ & vigorem disciplinæ ab ipso conservatum, ac omni laude dignissima de illo referunt. In Joannis viri, hoc est Manni Præpositi Wengensis laudem scriptos invenio sequentes Versiculos:

Joannis vitam sequeris? sequor. ore triumphum  
 Cantemus, læta voce canamus: Jo!  
 Laude pudicitiae celebrem, clarumque patronum  
 Sectaris? sector.  
 Pectore divitias Patronus sprevit, & ore;  
 Tu spernis? sperno.  
 Summus erat divus Joannes osor honorum,  
 Tu talis? talis.  
 Joannes præclarus erat Pietatis amator,  
 Tu pius? an dubitem?  
 Haud minus ac justus majorum iussa peregis  
 Tu ne facis? perago.  
 Divinas leges studuit servare Patronus,  
 Tu servas? servo.  
 Rebus in adversis plaudebat pectore Divus,  
 Tu plaudis? plundo.  
 Jubila læta Deo cecinit noctesque diesque:  
 Tu canis? imo cano.  
 Divus ob hoc meruit cælestia scandere tecla  
 Tu scandes? scandas, voce canamus: Jo!

Fors tamen ista ad figmenta Poëtarum rejicies. Audiamus ergo majora.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

C c c c c

Quam

Quam Joannes circa Cultum divinum, laudesque divinas rite & ordinate per solvendas fuerit sollicitus; sat elucet ex Ordinationibus per Reverendissimum D. Leonellum Concordiensem Episcopum, qui anno 1499, jam altera vice Præpositum cum suis Canonicis invisere dignatus est, qui in ingressu factarum ab illo Ordinationum disciplinam sub Joanne vigentem non ex auditu & relatione aliorum, sed ab ipsa experientia, & oculari inspectione egregie commendat. Sic autem habet Pontificii Legati litterarum tenor.

**LEONELLUS de Thierogatis Decretorum Doctor Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Concordiensis Sandissimi in Christo Patris & Domini Domini Nostri Alexandri Divina Providentia Papæ Sexti Referendarius Domesticus. ac ipsius & Apostolicae Sedis ad Serenissimum D. D. Maximilianum Romanorum Regem Illustissimum, & ad inclitam notionem germanicam, ac universa & singula Provincias, terras & loca Germaniae Sacro Romano Imperio subiecta eum plena potestate Legati de latere Orator destinatus dilectis nobis in Christo Præposito & Conventui Monasterii ad Insulas alias Wengen oppidi Ulmensis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Constantiensis Diœcesis Salutem in Domino sempiternam,**

Religionis zelus vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud nos experientia ipsa commendamini, Nos inducunt, ut ea vobis concedamus, quæ animarum vestiarum saluti & commoditatibus vestris cognoscimus opportuna: cum itaque rebus sic exigentibus diversis temporibus **BINA VICE** in Monasterio vestro prædicto hospitium nostrum recepimus, ac novissime vos in nonnullis Divinum Officium præcipue concernentibus valde perplexos fore perspeximus, cum ex regularibus institutis vestris certam super his dispositionem non habeatis, & circa ipsum Divinum Officium devote persolvendum vos adeo occupatos viderimus, ut ad alia pia & religiosa opera implenda vacare nequeatis, ad evitandam perplexitatem ejusmodi & certitudinem in præmissis habendam cum sitis in regularis vita observantia novella plantatio ad servandas quoque conscientias vestras easque aliqualiter relevandas, ut sacrarum litterarum studio & contemplationi, ac meditationi orationique particulari ac aliis spiritualibus Exercitiis, quibus religiosa vita suscipit incrementum, commodius in cellis vestris animum intendere possitis: Nos Authoritate Legationis nostra qua per litteras Apostolicas præfati Sandissimi Domini nostri Papæ nobis tributas fungimur tenore præsentium Vobis, ut ultra horas Canonicas, ad quas septies in die persolvendas tenemini, modum certum ac tolerabilem in quibusdam divinis Officiis habeatis, diligentia maturitate præhabita ordinamus & deputamus articulos infra scriptos, quos tanquam regularibus institutis conformes, & sacris Canonibus non obviantes confirmamus & approbamus illosque articulos perpetuo in dicto Monasterio observari per vos statuimus atque decernimus, qui sequentur & sunt tales &c. &c.

In quorum fidem præsentes litteras fieri, nostri Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum Ulmæ Constantiensis Diœcesis in Monasterio Wengen anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo Nonagesimo Nono Nonis Junii Pontificatus præfati Sandissimi Domini nostri Alexandri Papæ Sexti anno septimo.

Negari haud potest per hasce Ordinationes a Legato Pontificio factas rigorem apud nos per Reformationem introductum fuisse ad Instantiam Joannis non nihil mitigatum, quod fortassis indiscreto cuidam zeloti occasionem præbuit illum tanquam cultus divini neglectorem criminandi. Anno 1502. hospitio exceptit Eminensissimum Cardinalem Raymundum Peyraudum, cuius auctoritate apud nos introducta reformatio, adeo tamen invita Joannis moribusque suorum nihil culandum reperit, ut potius novis favoribus Collegium nostrum censuit dignum. Nos enim in specialem Sedis Apostolicae Protectionem suscipere dignatus est per litteras Pergameno inscriptas, quæ hodie illæsæ conservantur. Hæc illorum formula:

Raimundus miseratione Divina & sanctæ Mariæ nove Sancte Romane Ecclesie Presbyter Cardinalis Gurcensis ad universam Germaniam, Daciam, Sueviam, Norwegen, Frisiam, Brusiam, omnesque & singulas illarum Provincias, Civitates, terras & loca etiam Romano Imperio in ipsa Germania subiecta ac eis adjacentia, Apostolice Sedis de Latere Legatus dilectis nobis in Christo Præposito & Conventui Monasterii sancti Michaelis ad Insulas oppidi Ulmensis Constantiensis Diœcesis Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini salutem in Domino.

Cum

Cum a nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor equitatis quam Ordo exigit rationis ut per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum, eapropter dilecti nostri vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci sub beati Petri protectione Authoritate legationis nostræ qua fungimur in hac parte tenore præsentium suscipimus, omnes quoque libertates & immunitates sive per privilegia & alia indulta vobis & Monasterio vestro quacunque Auctoritate concessas nec non libertates & exemptiones secularium exactiorum a Regibus & Principibus ac aliis Christi Fidelibus vobis & eidem vestro Monasterio rationabiliter indultas specialiter autem Decimas, primitias, agros, campos, pascua, nemora, silvas, piscaria, casalia, grangias, curias & alia bona ad Monasterium prædictum spectantia nec non per Canonicos dicti Monasterii sive per idoneos Presbyteros seculares ad nutum vestrum amovibiles regi consueta videlicet in Hervelingen & Ballendorff ac in Holzkirchen Augustensis Diæcesis parochiales Ecclesias seu earum perpetuas vicarias una cum illarum Decimis, quas eidem vestro Monasterio unitas & incorporatas esse asseritis sicut ea omnia juste & pacifice possidetis vobis & per vos eidem Monasterio eadem Auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus salva in prædictis Decimis moderatione Concilii generalis. In quorum fidem præsentes litteras fieri nostrique Sigilli jussimus appensione communiri. Datum Ulmæ ejusdem Diæcesis Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quinquagesimo secundo, septimo Kalend. Augusti Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Alexandri Divina Providentia Papæ Sexti Anno decimo,

Nec sequentes. &c.

### S. II.

Joannes conscribit Wengensis Cœnobii Historiam.

Joannes laudem mortalem consecutus est, quod acta Præpositorum Ipse primus collegerit, acomnia alia plura conscriperit, sine quibus jam lanqueret Collegii nostri Historia. Propterea Anno 1498. speciali statuto Capituli manifestavit, quo ait animadvertant dilectissimi Successores nostri Fratres & Domini, & intenta cordis aure percipient, quod ex incuria forsan aut negligentia Prædecessorum nostrorum liber ille, qui Catalogus mortuorum nuncupatur, deperditus & annihi-latus, nobis tanquam pro nunc eorundem Successoribus gravem conscientiæ mo-lem & importabilem generarit: cum longam & frequentissimam de eo fecerimus inquisitionem, nec quidquam certum ac modicum valde: aspectu ejus quo Mo-nasterium nostrum hoc in Monte S. Michaelis ab initio caput exordium usque huc dum tamen plusquam trecenti anni revoluti sint) experiri potuimus, ita ut saepe in inquietudinem mentis prolapsi non immerito ambigui staremus ac timidi, ac incerti. Propterea longo jam pondere nimium valde gravati singulis tandem ma-tura deliberatione pensatis, prout potuimus singula certa, & incerta accuratius colligentes Consilia & adjumenta a viris doctis recepimus, ut saltem eo certius atque cautius rem hanc satis difficilem melius diffinire possemus. Volentes igitur Fratribus nostris Professis, puta his, quo nominibus propriis recepimus inscip-tos, aut verisimili annotatione assignatos, atque sub his omnibus & ceteris, quo-rum Nomina Deus scit, juxta formam nostrarum sacrarum Constitutionum fra-ternam exhibere charitatem, ne videamur ipsos mortuos non dilexisse, quos vivos diligere mandamur. Pensantes propterea, quod hi prædecessores nostri antequam in filebilem & miserandam sui dispersionem devenerunt strictissimam (ut aliorum relatu cognovimus) vitam duxerunt ac totius Religionis Viri, & summæ discipli-na lucentia Exemplaria extiterunt, & quia multi ex his Prælati (ac etiam alii Fra-tres, qui relicto Sæculo & bonis suis in congregationem Fratrum secum appor-tatis religionem professi sunt) magna & multa bona fecerunt, in quorum labores nos tandem intravimus, atque eorum bonis post se relictis modo fruimur & vivi-mus, hanc inter nos paginam sub forma Capitulari congregati compacti sumus.

Actum in die Transfigurationis Christi Anno Incarnationis Dominicæ 1498.

Ccccc 2

Ca-

## Capitulares pro tunc fuerunt.

Venerabilis Pater & Dominus Prælatus noster JOANNES MANN.

D. MATHÆUS ZIMMERMANN antiquus Prælatus.

	Augustinus Knöringer Decanus.
	Bartholomæus Spizenberg.
	Hieronymus Rem.
Domini	Thomas Maurer.
	Michaël ötterlin.
	Caspar Staynmayr , quondam Decanus.
	Georgius Trencker,
Fratres.	Franciscus Karrenmann.
	Georgius Krafft.

Quæ itaque propria exarata manu scripta Joannes reliquit sunt sequentia:

1. Devita & gestis Præpositorum Wengensium ab initio Fundationis nostræ usque ad annum 1497. Quo anno electus fuit. In hac serie nomen suum postremo loco adhuc propria inscripsit manu hoc modo: *Joannes Præpositus dictus Mann vicesimus secundus in Ordine ab Initio Fundationis Monasterii & nonus in Civitate. Reliqua illius acta diverso charactere codici inserta sunt, & quidem a quodam illius Adversario.*
2. Catalogus antiquorum Prædecessorum nostrorum, quem præcedunt 1. Nomina Fundatorum & Nobilium. 2. Nomina Fautorum & Benefactorum specialium ab initio fundationis. 3. Benefactores Monasterii a tempore Reformationis.
3. Catalogus novus ab anno Incarnationis Christi 1489. inchoatus ab initio Reformationis nostræ in hoc tamen pauca occurunt, quæ Joannis manu propria fuere inscripta.
4. Nomina Confratrum, & Consororum aliarum Religionum Confraternitatem nobiscum habentium.
5. Nomina virorum, utriusque sexus in nostram Fraternitatem Laicalem pertinentium. Posita secundum ordinem Alphabeti.
6. Nomina mortuorum utriusque Sexus ex fraternitate Laicali secundum annos, quo obiere inter hæc plurima recensentur Benefactorum nomina brevibus notis illustrata.
7. De altariis Monasterii S. Michaelis in Insulis fori extra muros.
8. De Fundationibus & Consecrationibus variorum nostrarum Ecclesiarum Collegio nostro incorporatarum.
10. De anniversariis antiquis, dubiis, reductis ac novis.
11. Collectio variorum Diplomatum Instrumentorum, Privilegiorum, Bularum, Insulas nostras concernentium, quas seu a Pontificibus Romanis, seu ab Episcopis, a Magistratu Ullensi aliisve Benefactoribus impetravimus.
12. Nomina & Relatio de Fratribus olim in Insulis Professis, qui tamen apud nos non perseverarunt, nec sub obedientia obierunt, aut proscripti fuerunt a Monasterio.
13. Constitutiones, Regulæ Illuminatissimi Doctoris S. Augustini Patris nostri declaratoriæ, per Reverendum in Christo Patrem Vdalricum Præpositum Undensdorffensis Monasterii ex Commissione Apostolica nobis traditæ. Has Constitutiones singuli industria & characteris Elegantia scripsit, nomenque proprium addidit: *Per me Fratrem Joannem Mann Professum Monasterii in Insulis.*

§ III.

## §. III.

Resignatio Joannis. Herbrechtingæ per aliquot annos moratur.  
Moritur.

**H**abuit duos ex Confratribus suis Joannes, qui illius acta post mortem consignarunt litteris. Horum primum, nisi vehementer fallar, Casparum Steinmayer suisse puto, quia tamen, ut jam vidimus, calamo invidiae pleno posthumam Præpositi sui famam proscindere non erubuit. Illum si audiamus, *sub Joannis regimine indies magis ac magis diminuebatur Cœnobii Respublica, imo nisi Superis alter visum esset, brevi ad summam inopiam fuisse redacta.* Cum Senatus Ulmensis hujus Præpositi prodigalitatem animadverteret, pro illius depositione urgente necessitate Romæ laborare cœpit. *Summi igitur Pontificis consensu propter jam dictæ malæ administrationis causam duodecimo Imperii sui anno deponitur, prius tamen annua pensione ipsi permissa.* Longe autem alia de Joanne habet manus Synchrona & faventior ad annum 1509. quæ in Beneficiorum Catalogo adnotavit sequentia: Joannes Mann hujus Præpositus loci electus fuit anno Incarnationis Dominicæ 1497, in die sancti Nicolai & postea anno Christi currente in Festo S Mauritii & sui comitatus, (ex hisce verbis desumitur haec scripta esse anno 1509. quo resignavit) monastica Præfectura sponte se ob rationabiles & pias causas abdicavit, qui sequentia pro divini culus decore sui Regiminis tempore fieri fecit.

Primo. Unam Albam Cappam Choralem, quam vocant, de purpura Damascena 40. nummis aureis coiparata.

Duas casulas coloris undulati.

Aliam Cappam choralem de undone vel undulatam luteam, 15. aureis param.

Item Velum, quo pictura parietis domunculae Eucharistie quadragesimali tempore obtegitur. Valoris unius nummi aurei.

Item decem nummos aureos dedit Pictori pro reservacula, seu Domicilio, in quo Eucharistia in Festo Corporis Christi ponitur, depingendo atque deaurando. Item unam pallam albam super summum altare, qua in Festis Beatæ Virginis uti consuevimus pro tribus aureis.

Item duo candelebra, quibus in arcis thurificandis utimur, pro duobus aureis.

Unam parvam tabulam Simulacris quotundam Sanctorum inornatam (fors inauratam) pro sex aureis.

Post ista sequitur amplius Beneficiorum Catalogus, ex quo saltem hoc discimus Benedictionem cœlestem minime defuisse Joanei.

Ex testimonio religiosioris hujus calami satis reparatur læsa hujus Præpositi fama; non enim ob malam administrationem a Præpositura dejectus, & depositus fuerat, sed sacrum hoc onus obrationabiles & piæ causas sponte depositus anno 1509. in die sancti Mauritii. In singulos annos certam pensionem petiit & obtinuit, ac Præposituræ suæ omnino valedixit, Herbrechtingamque Ordinis nostri cœnobium se contulit, ubi ab ejusdem Monasterii Præposito libenter exceptus, pro victu do-drantem pensionis suæ annuatim numeravit, partem vero cæteram ad alios sibi necessarios usus reservavit. Hic cum aliquot annos in religiosa quiete & contemplatione rerum cœlestium vixisset, adversa valetudine laborare incipiens, Ultimam ad suos rediit, sed ingravescente morbo mox altera redditus sui die suum in Christo emisit spiritum, & sepultus est in sepulchro Matris suæ in nostra Ecclesia circa Altare fabrorum anno 1514. in die sanctæ Apoloniae Virginis & Martyris.

## §. IV.

## De Michaelo Oeterlin Præposito XXIII.

**A**ntequam Michael Regularem vestem Canonico-Augustinianam in Insulis nostris susciperet, jam ordinatum fuisse acolytum lego. Sic enim de ipso habet vetus Notula: Anno Domini 1492. Michael Oeterlin de Constantia nondum iñdutus habitu, ordinatus est in acolytum in Angaria Crucis, in die Mauritii. In Subdiaconum anno Domini 1493. in die Nicomedis, in Angaria Pentecostes. In Diaconum. Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

D d d d d num

num anno Domini 1493. in die Matthæi Apostoli & Evangelistæ in Angaria Crucis, in Presbyterum anno Domini 1499. in die Cathedræ Petri in Angaria quadragesimæ. Celebravit Primitias Dominicæ Lætare in Quadragesima septimo Mensis Martij indutus est habitu Novitiorum anno 1492. Hic Michael Oeterlin de Wolmatingen, Patria Constantiensis: Helvetius sive der Schweizer cognominatus est. Electus fuit anno 1509. ab Hospitalario Ulmensi confirmatus & investitus. Sustinuit tantis cum meritis suam Provinciam, ut nulli ex Antecessoribus, nemini ex sequentibus laude cedat. Severus quidem audit ac rigidus, nunquam tamen iustitiæ, nunquam moderationis debitæ leges est prætergressus. Tanta fuit virtutum illius Fama, ac religiosæ disciplinæ zelus, ut ad reformata alia quoque Cœnobia fuerit adhibitus. Romanus illum Pontifex Apostolica Commissione ornavit, ut ad exactiorem Augustinianæ Regulæ observationem Herbrechtinganos Canonicos reduceret, teste Bruschio in descriptione hujus Cœnobii, hisce verbis: *Magnus Amonius Patria Giengensis, præfuit adhuc anno Domini 1520. quo per Reverendos ac egregios viros Michaelem Ulmensem, & Wolfgangum Auguſtanum Præpositum reformatum legitur Monasterium iſlud.* Wolfgangus iste reformationis socius erat Canonice S. Georgii Augustæ Antistes optimus, Vir pariter magnæ Religionis, & Episcopo Augustensi summopere charus. Vitam Canonicam, quam Michael optimis legibus firmavit foris, domi strenue urgebat, in hoc solo infelix, quod inter filios suos aluerit duos Augustinum Marium & Martinum Myllium litterarum amantes & egregie doctos, eosque amiserit satis mature, eoque, ad universale studium Viennense profecti alibi, sic disponente Numine promotionem suam inuenierint. De quibus postea dicemus pluribus, Anno 1519. Sacellum Erbäcense, quod pro sua in sanctos Calites pietate reædificavit hanc notulam invenio: Anno Domini 1519. die octava Mensis Julij consecrata est Capella & Altare in Erbach in honorem S. Annæ, S. Brigitæ, S. Micahelis, S. Augustini, S. Leonardi, S. Barbaræ & Agathæ: Et Dedicatio celebranda est Dominica proxima post Visitationem B. Virginis ad Montana Elizabeth. Et nota, quod hæc Capella fuit destruēta, & sic jacuit ultra quindecim annos & reædificata est per Venerabilem Michaelem hujus Cœnobii Præpositum de Wolmatingen apud Constantiam civitatem. Anno 1517. obiit Augustæ Vitus Meler insignis Benefactor, Fautor & Patronus Michælis hujus, sua enim potissimum opera & labore in Præpositum Authoritate Apostolica est constitutus, electionem quibusdam turbare volentibus. Patria fuit Memminganus J. U. D. & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Auguſtanæ, litterarum Apostolicarum sollicitator, & summo Pontifici gratissimus, Canonicus Frisingensis S. Viti ibidem, cuius templum forniciis exornavit. Legitur Epitaphium ipsius Augustæ

Clauditur hoc tumulo Vitus cognomine Meler,  
Paruit & legi Mors truculenta tuæ,  
Canonicus celebris fuit hic Archidiacon,  
Jura olim latiæ cui bene nota Romæ,  
Memmingen Patria huic quondam, dum vita manebat;  
Vivat sed Patria nunc anima ætherea.

In Confraternitatis nostræ Catalogo hoc cum Encomio notatur: Anno 1517. *Vitus Meler utriusque Juris Interpres Canonicus Auguſtae specialis Fautor Monasterii, qui constituit Patrem Michaelem Oetterlin in Præpositum hujus Cœnobii.* Hujus Præpositi tempore prima novæ Religionis fax & tuba fuit Joannes Eberlin Ordinis Minorum Patria Günzburgensis variis libellis suum erga Sedem Apostolicam odium prodidit: suasor etiam fuit hujati Magistratui, ut sua authoritate Collegium nostrum in publicam puerorum ac puellarum converteret scholam. Restitit tamen hisce conatibus cœlum, & Michaelis nostri vigilantia, qui quo magis crescebant Religionis turbæ, tanto majorem conservandæ disciplinæ domesticæ curam adhibuit, quid mirum ergo quod homo rigidus ac severus audierit illa ætate, qua corruptissimus fuit tam Cleri sæcularis, quam regularis status.  
Obiit, acad cœlestia præmia capienda meritissimus Præfus anno 1521. abiit

DISSE-

# DISSESSATIO HISTORICA

De

Augustino Mario C. R. Wengensi.

## APPENDIX

De Martino Myllio, ejus Sodali.

**S**ynopticam vitæ seriem recensere aggredior viri, magnis in Ecclesia meritis celeberrimi, illisque duntaxat ignoti, qui res gestas Sæculi decimi sexti, Religionis mutatae motus, ac Germaniaæ turbatae dissidia ignorant: Augustinum Marium intelligo, a variis Scriptoribus quidem celebratum, quorum tamen nullus plenam Actorum, quibus inelaruit, notitiam dare potuit, ob documentorum defectum, quæ etiam nostro Collegio, cuius ille per Professionem Religiosam alumnus fuit, cum aliis multis nobis eripuit temporum calamitas, & fatorum iniquitas, quæ Ambrosium Kauthum, Insularum nostrarum immortali memoria dignum, per viginti fere annorum exilium pressit; quo durante diem supremum obiit. Fateor dolens, nulla fere superesse mihi de hoc viro domestica subsidia; manu scripti Codices, qui adhuc supersunt, vix nomen illius recenserent, parcissima manu ipsumsum Archivium Wengense nonnulla mihi subministravit, quibus extraneorum Scriptorum conatus nonnihil juvare licebit. Fideliter enarrabo omnia, quæ Historiam illorum, quibus floruit temporum legenti occurrebant. Nemo prolixiori Encomio Marium hunc nostrum prosecutus est, quam *Rerum Wirzeburgicarum* Scriptor eruditissimus P. Ignatius Groppius Ordinis S. Benedicti Tomo I. a pag. 301. & sequentibus; cui propterea ducentesimas grates debet, & dicit Wengense Collegium; hujus etiam ductum potissimum in historica hac Dissertacione sequar. Sit itaque

### §. I.

Augustini Marii Nativitas, & Parentes.

**A**ugustinus Marius (sic enim se ipsum appellare placuit, juxta sui Sæculi consuetudinem, cum gentilitium illius nomen non aliud fuerit, quam *Mayr*) *Vir* fuit, inquit laudatus Groppius loco citato, eximiae eruditionis, ac virtutum longe præclarissimarum; ob hujusmodi animi decora ad sublimiores Ecclesiasticas Dignitates certam expeditus, natione Suevus, patria Lœherensis natus est in hunc mundum anno 1485. Parentes utriusque nomen filuit Scriptor, quod tamen nobis veteris Confraternitatis laicalis Catalogus sub finem Sæculi XV. & initium decimi sexti scriptus prodit. Ad annum 1529. hæc lego: *Joannes Mayer*, genitor *Magnifici Domini Doctoris Augustini, Confratris nostri*; quo anno obiit. Anno mox sequenti occurrit pia memoria Matri hisce verbis: *Margaretha Mayerin, uxor Joannis Mayer*. Ambos honestæ conditionis fuisse, ex hoc colligi jure poterit, quod educatione filii sui admodum solliciti, illum liberalibus artibus imbui satis mature curaverint. Ex linea materna descendit ex Häfelinis Talfingensibus; annotatur enim ex Confraternitatis Catalogo aviæ illius nomen *Agathæ Hüfelerin von Taufingen avia Augustini*, quod genus adhuc supereft. Læheræ, non autem Lœheræ, aut Locheræ (pagus est, a civitate Ullmensi unius fere horæ itineris spatio distans) habitarunt parentes; atque hanc Augustini Patriam fuisse, nullatenus dubitandum, ipsomet attestante in quodam Coacionum, ab eo habitarum, codice hisce verbis. *Læheræ me genuit.* Ridendi proin sunt, qui ut Illustris Sekendorfius narrat Comment. de Luther Lib. 2. lect. 35. §. LXXVIII. addit: (I) Illum habuere pro Fratre Campegi; quam fabulam hausit ex libro, qui in Archivo Vinariensi reperitur cum hoc titulo: *Acta in causa Religionis Augustæ Vindelicorum. Laurentius Campegius Bononiensis erat,*

D d d d d 2

Ju.

Juris Consulti filius, Nuntius Leonis X. in diversis Legationibus, deinde Cardinalis, & Episcopus Bononiensis: quem & Clemens VII. ad munus Legationis in Germaniam, cum fidei dissidia ubique gliscerent, deputavit. In nativitate sua proin *Marius* cum *Compegi* nihil commune habere potuit.

### §. II.

#### Illiud Educatio, & prima Studia.

**P**uerilem ætatem Ulmæ inter prima studiorum elementa transegit. Ita iterum citatus Groppius, & ipse met Augustinus, dum ait: Læhra me genuit, sed Nobilis educat Ulma. Quibus Magistris, & Instructoribus fuerit usus, nullibi proditur. Collegium Wengense instruendæ juventutis curam in se suscepisse, atque hujus rei vestigia adhuc extitisse sub Sæculi decimi sexti initium, certum est. Videantur de hoc IΣΤΟΠΟΥΜΕΝΑ de scholis latinis & Gymnasio Ulmanorum, quæ olim juvenis eruditus, nunc vero vir celeberrimus, Franciscus Dominicus Haeberlin, Ulma-Suevus anno MDCCXXXVII. multo labore conscriperat, pag. 11. ubi, ut assolet, erudite probat: Wengense Cœnobium, uti hodie, sic olim, Officinam scholasticæ institutionis exitisse. Reverendissimum Michaelem circa Sæculi decimi sexti initia propriis sumptibus scholarum Magistrum pro instructione juventutis aluisse; ex certis mihi tabulis constat, veteri scilicet Necrologio M. S. ubi ad annum 1521. hæc lego: *Amandus Aubelin, Baccalaureus Viennensis, & Modarator juvenum nostrorum, vir fuit bone Litterature, tum vitæ, tum conversationis.* An autem prima studiorum suorum elementa in Wengensi nostra Canonia, sub hoc ipso Amando Aubelino, ejusque disciplina, ac in aliis Ullmensibus Cœnobiosis, sive Franciscanorum, sive Dominicanorum, sive in publico civitatis Ullmensis Gymnasio perceperit, nulla mihi certa suppetunt argumenta. Quidquid sit: scripta Marii nostri produnt: illum non duntaxat latina, sed etiam græca Litteratura probe fuisse instructum, & amore litterarum Elegantiorum exarsisse adhuc juvenem, dubium non relinquunt; quemadmodum ex porro dicendis ostendemus.

### §. III.

#### Religionem profitetur Canonorum Regularium in Wengensi Canonia,

**W**enga capit sacra Religione Virum. Hæc ipsamet Augustini nostri vox in Epitaphio quod vide infra §. XVII. in codice autem Cella Dei uno verbulo mutato, sic canit: *Wenga facit sacrum Religione Virum.* Hæc verba satis ostendunt, Marium semper gratum erga Canoniā Wengensem retinuisse animum; veritati proin etiam litavit Groppius, dum ita scripsit: *Deo ad altiora illum vocante, reliquo Sæculo vitam perfectionem in Inclyto S. Archangeli Michaelis Wengensi apud Ulman Cœnobio Ordinis ac instituti Canonorum Regularium S. Augustini per solennem votorum nuncupationem est amplexus.* Quo anno, ac die determinato jam hoc fuerit factum, affirmare non ausim, tabulis legitimis destitutus. Quod sub Joanne Maanio Præposito Canonicum suscepit habitum, mihi dubitare haud licet. Hoc unum mihi certum, ut patebit e sequentibus, sub Michaeli primum illius do tes inclaruisse, ac incrementa illustriora cepisse. Coœvum illum fuisse Martino Myllio, jam supra audivimus; ac proin sub Regimine Joannis, & Michaelis vi xisse, planum est ex ipsiusmet Michaelis testimonio, qui in primo Appellationis suæ ad Romanum Pontificem Instrumento, Anno 1515. die 26. Mensis Januarii per publicum Notarium confecto affirmat, *Augustinum Mayr, & Martinum Müller ultra, & citra tredecim annos proxime præteritos, in Monasterio ad Insulas pro tunc Prædenti Prælato, ac Præposito Joanni, Prædecessori suo via recordationis, ac memoriae, juxta Ordinis nostri Regulam Professionem solennem fecisse, & suum velle, & nolle in manus Prælati, & Præpositi dedisse.* Itaque circa annum Domini 1502. ambos ad Religionem Canonicam venisse, suspicari, aut potius asserere haud ex vano licet.

### §. IV.

## §. IV.

Ad Severiora Studia abit Viennam.

**C**ausa Studiorum Augustinum Viennam fuisse missum, Groppius narrat, non tamen meminit, e quibus fontibus hoc Arcanum didicerit. Interim tamen Sev- rioribus scientiis Marium nostrum efflorescente suo ævo Vienensi Universitate ac præstantissimis Doctoribus celebri operam navasse, tam verum est, quam, so- le lucente esse diem. Ex antiquo Collegii nostri chartulario id quoque veritati consentaneum esse disco. Jam autem supra, cum de Martino Myllio agerem, cau- sam & occasionem prodidi, quo Augustino nostro viam complanaverit ad prose- quenda altiorum scientiarum studia, frequentandi Vindebonensem Academiam, circa annum scilicet 1511. vel 1511. obtinuit nempe cum suo socio, Martino Myllio, a Romana curia Privilegium Pontificium ad septennium duraturum, studio- rum causa proficisciendi Viennam Austriae; quod haud dubie ex speciali Numinis Providentia est factum: ut nempe Augustinus noster inter Academicorum pugnas, & concertationes expoliretur in instrumentum in securis calamitatibus Ecclesiæ utile, iisque scientiis impletet animum, quibus plurimum animarum saluti olim posset succurrere. Ita me docet antiquus Codex M. S. hisce verbis: *Dominus Mar- tinus Millius, & Augustinus Marius, ambo Presbyteri, & in nostro Wengensi Cœnobio quondam professi, nostro a Canonicatn Papali cum Privilegio septennio Viennam venerunt, & aliquibus annis, studii ob gratiam ibidem vitam duxerunt.* Adnotatur annus 1511. Pa- tet autem ex publico Notarii instrumento, quod infra, quando agemus de Marti- no Millio, recitabimus, hoc Privilegium clanculo a Romano Pontifice fuisse impetratum; ægre enim utrumque Canonicum dimisit Reverendissimus Michael, tunc temporis Præpositus.

## §. V.

Publica illius Disputatio Viennæ, Præside Joanne Eckio Doctore.

**I**n Viennensi scientiarum Emporio magna contentione, ac industria altiores dis- ciplinas tam Philosophicas, quam Theologicas hausit. Nemo istorum tempo- rum gnarus Litteraria itinera nescit celeberrimi Ingolstadiensis Professoris, Ioannis Eckii. Hic vir, hic immortalis famæ Theologus anno Domini 1516. Vien- nam delatus, facultatem ab Academico Senatu haud ægre impetravit, publicum in Cathedra Theologica scientiæ suæ dandi experimentum; quod & plaudente Vienna factum: Marius enim noster, adhucdum Theologiæ tyro, et si jam trigesi- mum primum ætatis annum ingressus fuerit, sub Eckii Præsidio, ex Augustissimi Cæsaris mandato, quasdam divinioris, sacratorisque Sophie Theses VIII. Mensis Augusti die, anno 1516. defendere est jussus; qua durante scholastice discepta- tionis lucta, tanta auscultantium erat multitudo, tamque pressa fuit, ut juvenis quidam pressus, ac viribus destitutus syncopi deciderit; quod ipsemet narrat Eckius in descriptione hujus Academicæ actus, quam publicis typis in forma quarta eruditorum oculis subjecit. Hæc disputandi provincia, quam cum honore & maximo plausu sustinuit Marius, amicitia sincerissimæ eum vinculis Joanni Eckio illigavit, quæ solvere sola mors potuit. De hac Disputatione etiam intelligenda est Epistola Benedicti Chelidonii, Abbatis Scotorum Viennæ ad Sigismundum Ab- batem Mellicensem in *Historia Bibliothecæ Mellicensis*, a viro clarissimo, R. D. P. Mar- tino Kropff edita anno D. MDCCXXXVII. pag. 78. et si post biennium primum scripta.

## §. VI.

Irrita Revocatio Augustini, Ejusque socii, elapsò studiorum septen- nio, ad Professionis locum.

**F**acile quivis se persuaderi patietur, Pontificium Privilegium, a Mario, ejusque socio Wengensi impetratum Præposito accidisse durum, ac valde incommo- dum; cum res domi habuerit, valde angustas: ad parvum numerum reductus  
Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. Erat

erat Canonicorum numerus; vix tot Religiosos aluit, qui divino officio, ac Choro, cum decoro obeundo sufficerent: minime quidem dubitari potest, æquis semper illum auribus excepisse egregios filiorum suorum in sublimioribus studiis profectus, qui olim redundare possent in proprii Laris utilitatem, quos tamen divini Providentia Numinis ad Ecclesiæ universalis bonum, ut monstravit eventus, destinavit: cum autem adverteret, nec Mario, nec Millio animum esse, completo septennio revertendi domum, de opportuno sibi, rebusque Collegii prospiciendi remedio, apud Sedem Apostolicam supplicavit, ac a Leone X. qui Vicarium Christi Sedem, resque Catholicæ Religionis moderabatur, sequentem obtinuit Bullam:

Leo Papa X. dilecto filio, Michaeli Præposito Monasterii,  
per Præpositum gubernari soliti, sancti Augustini, Oppidi Imperialis Ulmensis,  
in Insulis nuncupati, Ordinis Canonicorum Regularium ejusdem sancti,  
Constantiensis Diæcesis, Provinciæ Moguntinæ.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, hic, in Monasterio tuo, per Præpositum gubernari solito, S. Augustini, Oppidi Imperialis Ulmensis, in Insulis nuncupati, Ordinis Canonicorum Regularium ejusdem sancti, Constantiensis Diæcesis, Provinciæ Moguntinæ, Conventus numerosus Canonicorum, ad divina celebranda, & decantanda institutus sit, seu esse consueverit, aut debeat, nihilominus nonnulli ex illius Canonicis, ex occasione quidem litterarum studiis operam dare velint, sub prætextu diversarum litterarum, per eos a Sede primaria Apostolica exortarum, se etiam licentia Præpositi ejusdem Monasterii, pro tempore existentis non obtenta, ac præter illius voluntatem, ab ipso Monasterio absentent, & ad loca Universitatum studiorum generalium se transferant, ac in illis etiam per plures annos commorari præsumant; prout etiam duo, seu plures, ab eodem Monasterio se absenterunt, seu absentes existunt: ex quo divinus Cultus, ob defectum Ministrorum paulatim in ipso Monasterio diminuitur, seu diminui, & negligi posset, Nobis humiliter supplicari fecisti, ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur, qui Divinum cultum, & regularem observantiam in Monasteriis quibuslibet vigere, & augere sinceris desideramus affectibus; ac propterea omnem a Religiosis vagandi materiam de medio libenter submovemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut pro tempore existenti Præposito dicti Monasterii, quod nullus ex Canonicis dicti Monasterii se præter ipsius Præpositi voluntatem a dicto Monasterio, etiam prætextu quarumcunque litterarum, ei pro tempore concessarum, absentare, & ad quæcunque loca se transferre, & in illis residere possit, nisi prius suæ Canonicali portioni dicti Monasterii renuntiaverit, quodque loco Canonicorum absentium, & sic se a dicto Monasterio pro tempore absentium, alios in eodem Monasterio recipere, & admittere, aut eos absentes ad claustrum, seu Monasterium hujusmodi revocare libere & licite, & ad aliquid eisdem absentibus Canonicis in eorum absentia hujusmodi ex fructibus dicti Monasterii, seu illius portionum Canonicalium administrare, aut eos post eorum absentiam, ad dictum Monasterium redeentes recipere minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli, neque desuper per dictos Canonicos, sic sese absentes, seu quoscunque alios, quavis autoritate fungentes, molestari possitis, Authoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ac super hoc plenam, ac liberam facultatem concedimus. Quocirca Venerabilibus fratribus, Constantiensi, & Augustensi Episcopis, ac dilecto filio, Præposito Monasterii, per Præpositum gubernari soliti, sanctæ Crucis Augustensi, cui præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios tibi, & pro tempore existenti Præposito dicti Monasterii S. Augustini, in præmissis efficacis defensionis præsidio assidentiam faciant autoritate nostra, concessionem, & indultum prædicta firmiter observari, teque, & pro tempore existentem Præpositum Monasterii S. Augustini hujusmodi illis pacifice gaudere, non permittentes, vos desuper per quoscunque, quavis autoritate fungentes, indebitate molestari, contradictores per censuras, incarcerationes, & alia opportuna Juris remedia, Appellatione postposita, compescendo, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non Monasterii Ulmensis, & Ordinis prædictorum, Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ac quibusvis indultis & litteris Apostolicis, eisdem

eisdem Canonico, nunc, & pro tempore absentibus, sub quibusunque tenoribus concessis; quibus etiam pro illorum sufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa mentio habenda, aut aliqua requisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita observata, inserti forent presentibus pro sufficienter expreßis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, & eis nullatenus suffragari debere decernimus, ceterisque contrariis quibusunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die sedecima Marcii, Millesimo quingentesimo decimo quinto, Pontificatus nostri anno secundo.

Hoc Pontificis Maximi speciale, & matura consideratione dignum Decretum eodem anno, quo fuerat obtentum meritissimus Wengensis Insulæ Antistes ea solennitate, qua decuit, in Collegio suo fecerat promulgari per conservatorem Apostolicum Vitum, S. Crucis Augustæ Vindelicorum meritissimum Praefulem, cuius adhuc instrumentum, in pergameno scriptum, illatum, ac incorruptum extat; cuius ergo quoque inscriptum legimus, hanc publicationem quoque Viennæ eadem solennitate, ac eodem anno, insinuatam fuisse ambobus nostris Confratribus, Augustino & Mario per Erhardum Hueber, Patavensis Diæcesis, Apostolica autoritate publicum Notarium, die Sabbathi, sexta Mensis Octobris. Insinuationem debita cum reverentia accepere ambo; verumtamen amore erga sublimiores litteras, neutquam partitionem praestitare; sed amicorum potentia suffulti, indulti Pontificii, olim obtenti prorogationem ultra septennium obtainire, maximo cum dolore Praepositi sui: is tamen laudabili moderatione, & discretione usus, illorum redditum, quem urgebat sepius, per quadriennium, & ultra patienter exspectavit. Anno demum 1419. necessitate compulsus, absentium filiorum suorum vacantem locum, munitus Papali Privilegio, susceptione duorum tyronum supplevit, Michaelis Thomani nempe, Waldsea oriundi, & Valentini Beinlin Lavingani. An primus sub Canonica veste perduraverit usque ad Professionem trium Votorum, equidem nescio; quia in Catalogo mortuorum Confratrum nomen illius non reperio; Valentum autem Cœnobio Herbrechingano circa annum Domini 1522. incorporatum lego. Neque ob hanc susceptionem ullas molestias suo Praeposito movere ambo absentes Canonici, neque admissionem ad locum Professionis illis fuisse unquam denegatum, constat; quare nec pro dimissis se unquam gessere. Hoc certum est, ambos ob honestatem morum, eximias dotes, & talenta, a Deo concessa, Viennæ semper nactos esse Patronos, & amicos, qui ad omnia necessaria vitæ religiosæ, etiam extra septa Monasterii ducendæ ipsis subministrarunt; quin unquam Praepositus Wengensibus propterea molestiam creare opus habuerint, quos ab hoc onere Pontificis indultum satis manifeste liberavit.

### §. VII.

Marius creatur SS. Theologiæ Doctor, ac Universitatis Viennensis Decanus.

**L**auream Doctoratus omnes fere Scriptores Mario tribuunt; quorum in scriptis illius celebratur nomen, *Doctoratus Laurea*, inquit Groppius, redimitus, ex eadem Universitate redivit. In ipsius Epitaphio legitur.

*Culta Vienna docet rite, Doctumque coronat.*

*Magnificum Doctorem* appellat Confraternitatis nostræ Elenchus Onomasticus. Reddit hujus rei evidens testimonium Viennensis Universitatis Matricula, ante annos aliquot a Thoma Henrico, Collegii celeberrimi ad S. Dorotheam Canonico nobis communicatum, hisce verbis: *Magister Augustinus Mayr, Canonicus Regularis Ulme-Wenganus promotus in Doctorem Theologiae anno 1520. Ejusdem Facultatis Decanus anno 1521.* ex Senatus Academicí unanimi Consilio ad utrumque honoris gradum ascendit. Verum magnificis hisce titulis non superbiæ typho inflatus est, nec otiosus in hoc gloriæ suæ Theatro ambulare voluit. Inter egregias animi doctes, quibus ornabatur, facundi oris eloquentia fuit, qua frequenter varias Vindo-

E e e e 2

bonen-

bonensis Metropolis cathedras sacris Sermonibus animavit, ac etiam Magnatum aures Apostolico zelo ita demulxit, ut ab Academica Palæstra jam anno 1521. quo Decani sacræ facultatis Provinciam moderabatur, potentibus litteris Ratisbonam ad obeundum in majore Ecclesia sacri Oratoris munus fuerit evocatus. De anno hujus Vocationis certos nos reddit Viennensis Matriculæ ad nos missa relatio: cui sequentia adduntur: *Eodem anno 1521. quo promotus fuerat in Decanum discessit Vienna, & factus Concionator Majoris Ecclesiae Ratisbonensis.* Consentit iterum Groppius, inquiens, postquam Marius Doctoratus Laurea redimitus, ex eadem Universitate redivit, ob summam, quam inde reportavit, Doctrinæ laudem, primum in Ecclesia Cathedrali Ratisbonensi Concionatoris munus obiit. Hoc pariter testatur apud Cellenses Canonicos vitæ Augustini Marii, Carmine scriptæ exegesis:

*Culta Vienna docet rite, Doctumque coronat,  
Pergo Ratisbonam, Mystica sacra docens*

Confirmatur hoc ex veteri etiam Documento, quod 'apud eosdem Canonicos adhuc superesse scribitur a laudato mox Gropio hisce verbis: *In uno Librorum, quos Marius noster huic Præmonstratensi Canoniae testamento reliquerat, hoc signum, Arma gentilia Marii, reperitur, in quo Crux circumligata in orbem Rosario visitur, adscripto in parte superiore lemmate: Nil sine menda. in inferiore Crucis parte: Augustinus Marius Doctor, Versus subscripti sic habent:*

Læhera quem genuit, quemque educat Ulma puellum,  
Venga facit sacrum Religione Virum.  
Erudit insignemque videt quem docta Vienna,  
Quique Ratisbonæ semina spargo Dei.  
Hoc tibi describor dubio pietas mate, Lector,  
Unica cui Christus, cætera vana, salus.

Idibus Decembris MDXXI.  
ætatis XXXVI.

### §. Vlll.

#### Fit Proepiscopus Frisingensis.

**O**ptime advertit Historiæ rerum Würzburgicarum Author ex Versibus, proxime citatis Augustinum nostrum præter Concionatoris Ratisbonensis Officium nullo alio fuisse anno 1521. insignitum. *Ast anno mox sequente, ait, & recitatos hic versus uno Disticho Marius auxit, & signa sua Pedo, & Insula exornavit: quod argumentum magnis est, eundem hoc anno, videlicet 1522. Pontificali dignitate etiam auctum esse.* Ita singula liber alius exhibet. Non possum non assentiri in omnibus sedulo scriptori; Distichum enim sic habet:

Inde Salonarum Præsul contendo Frisingam,  
Fungens Officio Antistitis ipse pii.

Hoc nihil aliud innuere voluit, quam, se Ratisbona translatum esse Frisingam, ac Proepiscopum factum esse Philippi XLVII. Frisingensis Episcopi post mortem, nempe Conradi, qui Suffraganeum prius egerat, ac frater fuit Mathiae Reichlini, Abbatis Tegernseensis. *Salonarum Præsulē* se vocat, sive *Episcopum Salonensem* in Partibus. Est autem Salona urbs Dalmatiæ, olim ampla, & bene culta, sed jam devastata; quamvis prope devastated urbem parvum excitatum fuerit castrum, *Salona appellatum*, sub Dominio Venetorum. Hoc ipsum affirmit vetus nostrum Chartularium, hisce verbis: *Augustinus Marius, Doctor Theologiae factus, & Concionatoris munus Ratisbonæ in Cathedrali Ecclesia assumpit, & sic gradatim usque ad Suffraganei Frisingensis Diæcesis Dignitatem pervenit anno a Carnali Christiano 1522.* At hic numerus ab imperita manu correctus, & casus omnino fallit,

& annum olim 1522. expressit; quod ad oculum patet. Nullum itaque dubium remanet, nisi soli ignorantiae, quod Marius Proepiscopi Dignitate Frisingæ fulserit, qui per annos fere quatuor nihil non egit, ut omnibus omnia fieret, contra recenter in Religionem Catholicam incurrentes novitates acriter qua ore qua calamo invectus, totam Diæcesin ab erroris, & hæresis periculis præservavit, Verbum Dei, juxta concessa sibi a Deo talenta, fideliter explanavit, adeo, ut ob zelum Catholicæ Religionis, Episcopo suo indies factus sit charior.

Breviter hic adnotare liceat Authorem Chronologiæ Provinciæ Rheno-Suevicæ, Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, Antonium Höhni pag. 171. & sequentibus, nulla veritatis specie suffultum cum hoc Augustino nostro Mario Frisingensi Proepiscopo alium *Augustinum Frisingensem Proepiscopum* miro modo confundere, qui jam Sæculo decimo quarto floruit, sub Joanne II. Episcopo Frisingensi, qui teste Viro Clarissimo, Carolo Meichelbeckio in Histor. Frising. p. I. pag. 149. anno 1341. Chorum Eremitarum Ordinis S. Augustini Monachii consecravit. Hunc etiam Bartholomæi Arnoldi de Ussingen, Ordinis Eremitarum Viri celeberrimi *Discipulum & Lutheri Condiscipulum* nominat, omniaque illi Encomia tribuit, Mario nostro debita. Ex hac tenus autem dictis constat, Augustinum nostrum nihil habere commune cum nominato Ordinis sui sodale, ac Inscriptionem illam in Refectorio, Eremitarum, sub effigie laudati Bartholomai positam, simili falsitate laborare. Utrumque Augustinum Proepiscopos Frisingenses probe distinguit, ac nullatenus confundit celeberrimus Michael Beckius. Videatur Histor. Frising. Tom. I. in Indice, verbo: *Augustinus*.

### §. IX.

Ab Episcopo, & Basileensibus Canonicis vocatur in subsidium.

**P**er quadriennium fere, ut supra memini, Ecclesiasticas Episcopalis munera vi-  
ces egregie impleverat, cum subito Augustinus Basileam vocatus, Frisinga  
abiiit, ut labanti Catholicæ Religioni in hac urbe succurreret. Id haud dubie  
cum consensu Frisingensis Antistitis factum est. Narrationi huic primo robur addit  
vitæ illius carminica Exegesis sequente Disticho:

Hinc (*Frisinga*) vocat ad munus geminum Basilea sub Oecolampadii in par-  
tes Dogmate scissa duas.

Neque huic vocationi suæ resistere ausus est Marius ob plurima commoda, quæ  
in agrum Ecclesiæ inde redundatura speravit. Anno 1526. Telamonius Limperger  
Episcopi Basileensis, Christophori ab Uttenhaim, Alsatæ, & SS. Canonum Do-  
ctoris Suffraganeus, Ordinis Eremitarum turpissima transitione ad Oecolampadii,  
qui belli Sacramentarii fax, & tuba in hac civitate fuerat, scriptisque suis veræ  
Religioni audacissime insultabat, castra transit, illorum quoque perfidiae reus,  
quos utique plures exemplo suo ad parem exitii sortem pertraxerat. Episcopus &  
Canonici Basileenses Collegii sui de honestamentum suorum e numero expun-  
gunt, Officio privant, & audita fama Augustini Marii, illum ad Ecclesiæ suæ  
emolumentum Telamoni Apostatae, Judæ Mathiam, substituere decreverant;  
ut simul Christophori Episcopi Suffraganeum, & publicum Verbi Dei Ministrum  
in Ecclesia sua ageret; quod etiam munus in Ecclesiæ Catholicæ bonum lubens in-  
selecepit.

Vix illius Basileæ adventus ad aures Oecolampadii est delatus, suos in partes  
trahere novum hospitem, & jam ex fama sibi notum per litteras mellitissimas si-  
mul, & illidissimas conabatur, quarum copiam, aut Synopsis Chronicæ inseruit  
Christianus Wurstisen Lib. VII. §. XVII. pag. LI. ita scribens: Bald nach seiner  
Ankunft schreibe ihm Doctor Hausschein, Oecolampadius, wievol er ihn noch nicht  
kennt, ein freundlich Missive, darinn er ihn beyneben gebürlicher Glückwünschung  
ermanet, mit ihm Christum, den heylend dermassen zu predigen, daß diez trennet ge-  
meind in Christlicher Eintrechting widerum zusammen wallet. Er wurde Leut ha-  
ben, die ihn wider sich, als der ein neue Lehr eingeföhret, verhezen wurden: den selbis-  
gen solte er keine Ohren geben, sonder, wann er an seiner Lehr Mangel besunde, mit  
ihm darum handlen, bericht zu geben, oder zu nehmen. Alle Zweitracht in der Statt  
Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. F. f f f f f sey

sey daher allein entsprossen, daß viel die reine Wahrheit nicht annehmen wöllen. gleichwie die Pharisäer von den Apostlen nicht anders getrennet, dann daß sie mehr auf ihrer Väteren Sazungen, und menschliche Gerechtigkeit, dann dns alte Wort Gottes gehalten. Ihm wäre wohl bewußt, daß er die Zeit her, so er zu Basel prediget, nichts gelehret, daß nicht durch Gottes Wort möcht erhalten werden, sey auch mit seinen höchsten Widersprechern sich darüber zu ersprachen begierig. Alle durch ihn angerichte Enderungen seyen dermassen, daß man sie ohne Verlezung des Gewissens nicht unterlassen könnten; vermahne derhalben ihn, welchen er selbst dahin geneigt seyn achtet, Gott diese Ehr zu thun, und nichts höher, dann sein Wort zu halten, was demselben widrig, nicht zugeben, laut des Apostels Spruch, welcher wölle, daß ein jeder, so in der Kirchen redet, nur Gottes Wort rede. Ob ihm schon, wie allen Dieneren Christi Widerstand begegne; der Teuffel ringe sich je, wann seinem Reich Abbruch beschehe, soll ers doch mit Beständigkeit, und Gedult überwinden. Wo er ihm darneben liebe, Freundschaft und Dienst erzeigen könnte, wolt er des bereitet sein, zu Förderung der Ehre Gottes, und Erbauung des Nachsten. Verum Marius Christiana prudentia, & fidei clypeo armatus, aurem suam avertit a sibilo serpentis, & a voce Incantatoris.

## §. X.

Mittitur ad Disputationem publicam Badæ in Helvetia habitam Catholicos inter & Sacramentarios.

**S**ensim se produnt arcana Divinæ Providentiae consilia, quæ habuit Numen optimum, dum tot animi ornamenti Proepiscopum nostrum exornavit. Eodem, quo Basileæ appulit, anno 1526. Disputatio celebris instituta est Catholicos inter, & Sacramentarios Badæ in Helvetia, Ergoviæ oppido, multorum Scriptorum calamis celebrata; ad quam vocatus Zwinglius, nullafide publica adduci potuit, ut veniret. Comparuere in arena primi nominis Theologi, Joannes Ekius, Academia Ingolstadiensis Professor, D. Joannes Faber Ferdinando Archiduci Consiliis D. Thomas Murner, Lector Franciscanorum Lucernæ, publice omnes conjurati, se veterem, & orthodoxam Religionem contra Ulricum Zwinglium, Tigurinum Præconem, & quosvis alios constanter propugnaturos. Ad hanc Disputationem, teste laudato Michelbeckio Histor. Frising. Parte I. p. 306. Episcopus Basileensis Christophorus deputavit sui, & Frisingensis Episcopatus Proepiscopum Augustinum Marium; quod etiam Raynaldus narrat ad annum 1526. N. XC VIII. Aderant quoque Episcoporum Constantiensis, Lausanensis, Curiensis, Cantorum Helvetiorum, iisque confederatorum Legati. Disputationis Præsides electi, Barnabas Engelbergensis Abbas, D. Ludovicus Baer Basileæ apud S. Petrum Præpositus, Jacobus Stapfer Baumgartenensis; qui prudenter antea præcaverunt, ne ullus Disputantium verba scripto exciperet, præter sribas, Libellionis muneri deputatos, scripta ipsi, & Acta penes se solos asservaturi. Oecolampadius prima oppugnatione Disputationi initium dedit, solenni ante Præfatione usus, se solo Verbo Dei, non consuetudinis, Doctorumque Decretis nisi velle, aliquique se repudiare Judicem, qui præter Dei Verbum verba alia daret. Hæc omnia refert ex Urssilio Basileæ sacræ Author, cuius Authorem prodit Epistola Dedicatoria, & Claudium Sudanum, virum e Societate Jesu integerrimum nominat, qui & sequentia addit: Post aliquot dierum contentionem rogati utriusque Factionis doctiores, qui aderant, Auditores, Eckynæ Theses, an adversariorum proferrent? major pars subscripsit Eckio, & aliqui Oecolampadio: aliqui laud sat liquere, utri plus deferendum responderunt; nominatim vero adhæserunt Eckio viri primarii, D. Bües, D. Doctor Marius, sacer Orator Basileensis Ecclesiæ, Joannes Silberberger, Medicinae, & Juris utriusque Doctor, Joannes Sattler, SS. Theologiae Baccalaureus. Cum his Cantones Helvetiorum novem, Lucerna, Uranium, Schwyzum, Subsilvania, Tugium, Clarona, Friburgum, Solodorum, Apenzella. In his consentientem habemus Würsteisenum in Chronicō Basileensi; qui tamen addit, inter Auditores hujus Disputationis quoque fuisse hominem simplicem, Conradum Werlinum, Scaphusianum, qui contestatus esset, se paratum habere animum, omnia credendi, quæ Superioribus suis placerent. Spondanus his similia tradit ad annum 1526. nempe hunc Disputationis fuisse exitum, ut omnes Helvetiorum pagi, solos Tigurinos si excipias, apud quos agebat Zwinglius, decreverint, & publico edicto promulgaverint, in antiqua Religione standum esse, rejecta Novatorum Doctrina.

## §. XI.

## §. XI.

Ob Religionis Zelum invisus redditur Basileensibus.

**F**inita Disputatione Badensi adhuc fere per triennium Basileæ mansit Augustinus, atque, ut ipsem loquitur in Dedicatione Guimundi, de quo paulo post, *Navim Christi, prora, puppique illisam, anchora divini Eloquii Basileæ retinuit. Suscipi- cari primum est, post Disputationem, quæ Oecolampadio tam infeliciter cessit, Religionis Catholicæ defensores perpetuis concertationibus, ac dissidiis fuisse in- volutos, quæ causa fuit, cur Basileensis Magistratus Decreto publico iusterit, ut Romano Pontifici adhærentes Missam suam afferant piam, utilemque vivis, ac mor- tuis in remissionem peccatorum; secunda enim Thesis, quam Eckius contra No- vatorum sectam propugnaverat, hæc fuit: Christi corpus & sanguis in Missæ Sacrificio pro vivis & defunctis vere offerri. Illi vero, qui ex partibus Oecolampadii stabant, rationes suas prodere jussi sunt, cur Missam, ut abominabilem, & perniciosa execrentur. Augustinus itaque *Marius*, inquit Abrahamus Scultetus in Annalibus Evangelicis ad annum 1527. p. 119. *Consensu Capituli, Missarum Sacrificium scripto defendit.* Oecolampadius contra, ejusque collegæ armatum (sic enim illam vocat Oecolampadius) orationem pararunt, qua docere conabantur, se justis de causis Missam appellasse βδενγια sive abominationem. Perlectis utriusque partis Li- bellis Senatus hoc negotium ad Concilium deferendum judicavit: cives quiritati sunt, in una, eademque urbe diversis sermonibus distrahi, ac petiere a Senatu, ut huic malo in tempore remedium ferrent; igitur septima Octobris Se- natus decrevit, permittendum utrique parti & Concionum, & fidei suæ liberta- tem, salva concordia animorum civili. Videatur Scultetus loco citato. Quis vero concordiam animorum etiam civilem tantis in turbis speret? *Marius* noster ob Catholicæ fidei zelum, ac defensionem suam, Senatui exhibitam Oecolampa- dianæ factioni indies magis invisus redditus est, & si summa moderatione partes suas exequeretur, ut etiam in Cathedra sacra constitutus contradictorem publicum passus sit. Rei seriem narrat Erasmus ad fratres inferioris Germaniæ apud Greste- rum Tomo Operum XIII. p. 618. hisce verbis: *Cum Senatas Basileensis toties edixisset, ne quis daret occasionem seditionis, quidam præcipuus Evangelii zelotes pulchre potus a con- vivio nuptiali venit in summum templum, reperit Marium concionantem; a quo cum nihil di- ceretur, quod ad scđam ullam pertineret: nam tum finiebat concionem, ille seditiosa voce suclamavit: Mentiris, Monache! ut te percutiat mala pestilentia! Hoc si quis Catholicus fecisset in Ecclesia diversæ Communionis, quod præmium retulisset? quid supplicii de illo sumptum est? cessit in vicum aliquem ad triduum, & rediit. Audis clementiam Evangelici- can? &c. Hæc nullinon notissima sunt.* Hucusque Erasmus. Ipse autem *Marius* in litteris ad Reverendissimum D. Casparum Durandi, Præpositum Kanshofianum in Bavaria, fatetur, quod non raro evidens vita periculum incurrit; quæ tamen omnia constanti animo elusit in defendenda Religione orthodoxa usque ad extre- mum vita halitum constantissime perseverans, suamque causam Christo commen- davit, pro quo legatione fungebatur. Videatur Tyrocinium Canonicum ad men- tem sanctorum Patrum &c. conscriptum a viro clarissimo Bennone Zaisberger, & Augustæ Vindelicorum 1723. publicatum, ubi P. II. pag. 60. Marium nostrum exi- miis ornat Elogiis, & de ultimis hisce circumstantiis a me relatis in testem adducit Reverendissimum Gruberum, qui ipsem hæc exscripsit ex litteris Ronshofio, & a R. P. Joanne Gamans S. J. acceptis; uti perhibet in Theatro virtutum 29. Ma- trii adhuc M. S. & necdum, quod dolendum plane, a Posteris edito.*

## §. XII.

Fugit Basilea Friburgum.

**A**nnus nullus funestior Basileæ illuxit, quam Millesimus quingentesimus vigesi- mus nonus. Supereminata ab Oecolampadio nova doctrina altas radices jam agebat; continua non solum sæcularium, sed & Religiosorum defectione Christo- phorus Episcopus, nescius, quanam ratione labantis fidei in sua Diæksi casum præpediret, ætate gravis, agnoquetantis impar curis, Pedum per resignationem depositus; illatumque illud est anno 1527. in manus Rudolphi ab Halweil; qui tamen ob excisum calculum, tertia ab Electione hebdomada e vivis abiit: cui indignita- te

te, ac onere successit Philippus Franco a Gundelsheim, Basileensis Episcopus Ordine LXVI. Basileæ sub ejusdem Regimine omnia in pejus ruebant. Audiamus hac de re loquentem Claudium Sudanum in Bas. sac. pag. 366. & sequentibus, anno 1529. *Die cinerum imagines in unum comportatas, & in duodecim acervos distributas, novi Ikonoclastæ (O! scelus impium, & sacrilegum!) furori suo, & flammis consecrant.* Ad hanc uicem sunt in posterum licentia diligendi Consules, Senatores, & sex-viros: ita scilicet admissa in Deum perfidia facile laxat debitam Principi, & Magistratui subjectionem . . . Nihil jam supererat recentissimæ Religionis, præter recentia Statuta & Decreta, quod novi Ecclesiæ Doctores, & sui jam sibi Pontifices affatim præstiterunt. Tragico mæstihic spectaculo Canonici, quandoquidem sublatum erat ex omnibus templis pietatis publicum exercitium, habito consensu, derelinquamus eam, inquiunt. Convalescere rebus suis Friburgum Brisgoja abscedunt. Academici Professores cum Studiofis plerique Basilea migrant. Has inter procellas, quæ mens, quis animus fuit infelici Episcopi infelici Proepiscopo? hunc satis explicat in Dedicatoria sua Epistola. Guimundi sui ad Conradum Heripolensem Episcopum, dum ait: cui non constat, quantis adversæ fortunæ & fati ferme deploratis incurribus Sacramentaria illa furia me nuper invaserit? &, cum ex celeberrima Basileensem urbe, & Academia (dum illic plus valeret multorum, & omnium præcipue institutorum hominum insania, quam Inlyti Magistratus prudentia) merito abierim: &, cum modo Reverendissimum ejusdem urbis Praefulem, Canonicosque dignissimos una cum toto suo Clero, subito omnibus absolutis Sacris, Oecolampadianum pestilens virus ingrassans, ad id adegerit, ut una omnes alio migrandi meditationem suscipere sint coacti. Unde de me actum penitus judicasse, nisi sacræ litteræ, quarum præconio jam annos non paucos deditus fui, contra peruersissimas Seculi nostri heræses me sublevassent; ut sperarim constantissime, gratam brevi superventuram horam. Nimirum cogitatum meum jactavi in Dominum Deum meum, Eique totum denuo me devovi, confidentique animo dixi: TU MEA, CHRISTE, SALUS. Hanc Dedicationem Friburgi XXV. Maij anno 1529. scripsérat, quo cum Canonicis Basileensibus confugerat. Oecolampadius in MS. Epistola ad Capitonem, quæ apud Scutetum in Annalibus Evangel. hoc anno occurrit, inter alia hæc scribit: *Adversarii me fontem omnis hujus rei vocant; in Epistola autem ad Simonem Grynæum, quæ apud eundem Scutetum reperitur, hæc habet: non gravat, quod quidam hinc migraverunt; nisi fallor, brevi penitidine non parva ducentur. Marius, & Pelargus authores malorum, & tumultuum, ut aperti hostes Evangelii, absunt. de quibus me vindicavit Dominus, cui ultionem permisi.* Ad hanc Marii inculpationem memores esse volo Lectores meos fabulosi Apologi apud Oelopum, in quo turbatam ab agno aquam lupus conqueritur.

### §. Xlll.

Vocatur Herbiopolim, ac Guimundi Opusculum luci publicæ donat.

Post Marii, & Canonicorum discessum etiam Erasmus Roterodamus Basileam deseruit; qua occasione hisce versiculis urbi valedixit:

Jam, Basilea, vale, qua non urbs altera multis  
Annis exhibuit gratius hospitium!  
Hinc precor omnia lœta tibi, simul illud Erasco,  
Hospes uti ne unquam tristior adveniat.

Erasmus quoque iter suum Friburgum Brisgoiam direxit, & in hac urbe inter doctos, quos nulla supersticio afflaverat, asylum quæsivit, & invenit. Non potuit hic suus adventus Mario nostro non esse gratissimus, dudum Basileæ in hujus viri sinceram amicitiam admissus. Etsi autem apud plures Erasmi authoritas, & fides avita vapulet, non levitatem mihi argumento est hæc cum Mario familiaritas, Erasmus vapulare injuste. Quidquid tamen sit; esto, Erasmus in tantis contra Religionem Catholicam turbis aliquid humani fuisse passum, certe imperite illos agere existimo, qui illum a fide Catholica unquam defecisse contendunt. Friburgi Marius noster Erasmus non tantum amicum, sed & Patronum est exper-

tus

rus, cuius commendatitiis litteris adjutus, jam duorum Episcoporum Suffraganeus, brevi ad aliam stationem honorificam devenit; hoc ipso enim, quo Marius exul, Erasmus illum Conrado Episcopo Wirzburgensi commendavit, tantumque obtinuit, ut mox Herbipolim vocatus, sacrum Gratorem in Cathedrali Ecclesia tgeret, ac inter illius Ecclesiasticos Consiliarios haberet locum. Gratias propterea agit Erasmus in Festo Pentecostes anni 1529. præfato Episcopo Lib. Epist. 22. Ep. 1. hisce verbis: *Habebit tua pietas strenuum, ac fidelem συνεργόν in restituendis Ecclesiae collapsis rebus, Augustinum Marium; quem tibi non commendabo, cum sciam. Et pro suo merito, Et pro tua humanitate tibi esse commendatissimum: quin potius opto, Et spero, futurum, ut ego per illum sicut commendator; qui, si dignaberis, hunc hominulum clientulorum tuorum numero adscribere, quod unum possum, polliceor, voluntatem ad omne obsequium promptissimum.* Ex alia autem Epistola, jam anno 1528. Septimo Calendas Septembbris, ex urbe adhuc Basileensi scripta ad Episcopum Augustanum, Christophorum a Stadion habet sequentia: *Quando coram non licet, in Epistola, digitis tuis scripta, sacram istam dexteram osculatus sum, ornatisime Praeful! sed multo reverentius osculatus sum pectus istud tuum pium, sincerum Et candidum; quod tuus, licet per breves, spirant litteræ. Verum idem mihi copiosius, velut in tabula quadam depictum, oculis animi subjecit Augustini Marii sermo; quem sane virum pietati tua Reverenda cum innotuisse, tum placuisse, non mediocriter gaudeo: quandoquidem hic ob eruditionem Christianam, ac morum singularem quandam humanitatem, candoremque nulli bono non gratissimus est; sed nullo certiore pietatis arguento commendatus, quam, quod pessimo cuique maxime invisus est.* Ex his verbis colligo, Augustinum Marium Episcopo Augustano ante biennium fuisse commendatum. Felicius tamen cessit commendatio anno 1529. facta. Pro hac commendatione anno 1530. cum Erasto Marius jam Herbipoli constitutus, per litteras gratias ageret, rescripsit ipsi Erasmus: *Pro mea commendatione nihil mihi debes; habeo in te ipso pharmacum, quo bonos omnes tibi concilias.* Epist. Florid. Lib. pag. 76. ad Augustinum Marium. Datum Friburgi Brisgoïæ XXII. Maij anno MDXXX. Ne tamen vacuis coram Episcopo Herbipolensi compareret manibus, Guimundi, Archiepiscopi Aversani, de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia L. III. ex veteri MS. codice Friburgi, typis Joannis Fabri Emmei Julianensis edidit, quos eleganti Epistola Conrado III. Herbipolensi Episcopo, Mecenati suo, inscripsit; de qua editione infra plura memorabimus.

### §. XLV.

Munus Ecclesiastæ Herbipoli obit, ac ad Comitia Augustana anno 1530. adducitur.

**M**arius novum zeli sui Apostolici natus Theatrum, se mature spectandum præbait in Ecclesiastica Cathedra, cuius Sermones ob undique propagatam Eloquentiæ suæ famam summam aviditatem excepti populus; post obtentam enim ab Herbipolitano Episcopo vocationis gratiam, diu non amplius Friburgi commoratus est: legitur enim, inter Sermones MS. in insigni Canonice Cellensis Bibliotheca custoditos Sermo quidam cum hac subscriptione: *Dominica tertia post Pentecosten Sermo primus, habitus anno Dohini 1529.* Ex horum Sermonum Inscriptione autem clare desumitur, Marius etiam in itineribus constitutum a Prædicatione Verbi Divini minime destitisse; sic enim inscribuntur: *Sermones Marianæ pro tempore peregrinario, Dominicis diebus, partim anno 1525 Basileæ, partim anno 1529. Et 30. Herbipoli habiti.* Quod vero Marius jam Frisingensis, & Basileensis Antistititum Proepiscopus, mox anno 1529. ad Suffraganeatus Dignitatem Herbipoli fuerit electus, ero aliquorum est; quem probe, ac minime a veritatis trahite devius Herbipolensis Historiographus refellit, *Constat, inquiens, Joantem Reuller ex Carmelitarum Ordine anno 1528. hoc dignitatis munus obtinuisse; qui anno deinde 1536. eodem ac vita defunctus est.* Pròinde etiam hoc, vel sequente verisimilius anno 1537. Augustinus Marius Antistitis Conradi factus est Suffraganeus. Cellensem Canonorum versiculi aperte hoc ipsum nos docent:

Herbipolis tandem Verbi Præcone perusa,

Injunxit fido Praeful's ipsa vices.

Quorum, ni fallor, sensus est, Marium primo Würzeburgi Ecclesiasticum Oratorem egisse; postmodum autem ob hanc spartam fideliter administratam, Pro-episcopi honoribus fuisse auctum; quod & factum: ut infra videbimus. Accedit, quod in Dedicatoria Epistola, anno prædicto 1529. Guimundi libris præposita, se ipsum tantum nominet *Electum*, & vocatum *Herbipolensis Cathedralis Ecclesiae a Concionibus*. Quare addito nostro calculo sententiam Groppii approbamus. Quam tamen instruendo Christianum populum sacer Præco impedit curam, anno mox altero 1530. Deo disponente in Ecclesiae universalis bonum per aliquot menses, quamdiu nempe durarunt Augustana in urbe, ob fidei causam celebrata famosa comitia, deponere debuit; illuc enim ex voluntate sui Principis abiit, illisque viginti Doctribus adnumeratus est, teste Seckendorfio, quibus commissum fuerat refutandæ Confessionis Lutheranæ (quæ postmodum Augustanæ nomen obtinuit) negotium. Hoc duobus in locis affirmat illustris Scriptor; primo quidem in Hist. Luth. lib. II. §. LXVI. ubi de Doctribus Pontificiis, ad hæc comitia ablegatis loquens, in hæc erumpit verba: *Adduksi erant a variis Principibus in comitia pugnacissimi ex Adversariis Lutheri, quorum Catalogum exhibet Cœlestinus Tomo IV. f. 135.* Eminebant inter eos Joannes Faber, & Joannes Eckius, sœpe jam memorati; de quibus maxime conqueritus est Melanchthon: dein AUGUSTINUS MARIUS, Conradus Wimpina, Joannes Cochlaeus, Conradus Collinus, Arnoldus de Vesalia, Joannes Mensingius, & alii. paulo infra: *Hi magno numero confederunt, & intra sex fere hebdomadum tempus confutationem quam vocant, conscriperunt; cuius exemplum autem Protestantes, licet instantissime petentes, obtinere non potuerunt.* Edita tamen postea fuit latine ab Andrea Fabricio, Confiliario Bavaro, ut Chyträus resert. &c. Secundo idem Seckendorffius eodem Libro §. LXXVI. iterum de Mario nostro numero 7. loquens, hæc addit, qui interconfutationis laboratores fuit. Georgius Calestinus in Hist. Confess. Aug. primo Marium SS. Theologiae Doctorem, ac Salonensem Episcopum inter Consiliarios, ac Aulicos, ab Episcopo Herbipolensi ad Augustanam hanc Synodus adductos sexto loco ponit fol. 129. b. Inter Pontificos Doctores Illum ordine tertium facit fol. 134. b. hoc modo:

### Doctores Pontificii.

- D. Joannes Eccius,
- D. Joannes Faber, Præpositus Budensis,
- D. Augustinus Marius, Episcopus Salonensis,
- D. Conradus Wimpina, Ordinarius Francosordiensis,
- D. Joannes Cochlaeus,
- D. Paulus Hugo, Provincialis Carmelitarum,
- D. Conradus Colle, Prior apud Prædicatorum Coloniae, qui scripsit contra Nuptias Martini Lutheri,
- D. Bartholomæus Utingen, Usingen, Augustinianus, secutus Episcopum Herbipolensem,
- D. Joannes Mensingerus, Ordinis Pædicatorum,
- D. Joannes Dillenberger, Confluentiæ Prior Prædicatorum,
- D. Joannes Burchardi, Vicarius Ordinis Prædicatorum,
- D. Hieronymus Montinus, Vicarius Episcopi Pataviensis,
- D. Matthias Kretz,
- D. Petrus Speiser, Vicarius Episcopi Constantiensis,
- D. Arnoldus de Vesalia, Coloniensis,
- Frater Medardus, Regi Ferdinando a Concionibus, Ordinis Minorum.
- D. Conradus Thoman, Concionator Ratisbonensis,
- Augustinus a Gellersheim, Bremensis,
- D. Guolfgangus Rebdorffer, Præpositus Stendaliensis,
- D. Michael, Prædicatorii Ordinis Moguntiæ;

De

De industria, ac præmeditate integrum ex Cælestino exscripti Catalogum; vel sola enim hæc Doctorum Pontificiorum nomina eruditioribus Catholicis venerationi erunt, ac inde insignem calumniam manibus palpabunt, qua Viros hosce vere magnos, aspersit Anonymus Author in *Vinariensi Archivo* apud Seckendorffum Hist. Luth. L. II. §. LXXVIII. qui scribere haud est veritus, *Theologos Pontificios*, qui Augustanis comitiis intererant, pessimi moribus fuisse infames, & inter illos **AUGUSTINUM MARIUM pro fratre Campeti Cardinalis fuisse habitum**. Hanc ultimam, & absurdissimam fabulam jam §. I. supra explosimus. Narrat Saubertus de Miraculis Augustanæ Confessionis saepius ex ore Marii auditas fuisse has voces: *Matrem meam Ecclesiam Catholicam, non deseram; quæ quidem verba cum etiam Brentius audiret, sibilo exceptit, regerendo: mi bone, etiam Patris meminisse oportet;* quasi vero, qui Ecclesiam instar Matris colit, ac audit, Dei oblitus esse possit. Hanc ipsam rem narrat ipsem Lutherus Tomo Operum V. fol. 162. Edit. Altenb. hisce verbis: *Der Weichbischöf zu Würzburg MARIUS hat in einer Collation oft gesagt, er woll bey der Mutter bleiben, hat gemeint die Päpstliche Kirchen; da hat Brentius, als ein frommer und geläuterter Mann, einsiens gesage, Ky! lieber Herr! ihr müsst dannoch auch des lieben Gottes darneben nicht vergessen. Da hat der Weichbischöf aus der Haut wollen fahren. Plura, quæ in hac dicta Mārjum propius tangunt, non invenio. Hoc etiam anno Marius charissimum Patrem suum, Joannem Mayr, mortuum luxit; cuius nomen vetusto Necrologio nostro interfutum legimus: altero mox anno & Mater tumulo illata est.*

### §. XV.

#### Assumitur in Suffraganeum Herbipolitanum.

Post dissoluta Augustæ Principum Comitia, Augustinus Herbipolitanam urbem repetiit, ac iterum Franconiaë Apostolum agere cœpit, & opere complevit, quod ad primum suum in Würzburghensem Diæcesin ingressum ejusdem summo Antistiti calamo promiserat; se nempe in fide Catholica defendenda indefessum fore pugilem. addens: ad quod me vocasti. Vid. Epist. Dedic. saepius jam laudatam. In curandis animabus, in habitis ad populum concionibus, in instruendis rudibus, in convertendis peccatoribus, in juvandis pauperibus, ut omnem laborem impendit, ita in his functionibus omnes suas delicias impendit, ac per integrum fere sexennium ita sese, teste Groppio, commendabilem omnibus probavit, ut tandem ab Episcopo Conrado meritorum suorum præmium consecutus, in defuncti Joannis, de quo supra, Suffraganei sui locum avidest expetitus. circa annum Domini 1536. vel 37. Hæc Augustini Promotio nulli dubitationi subjacet; testantur versiculi sequentes:

Herbipolis tandem Verbi Præcone perusa,  
Injunxit fido Præsulis ipsa vices.

In Colloquio Viatoris, & Marii apud Cellenses interrogat Viator Marium:  
Suffragator ubi?

Et respondet Marius:

Frisingæ, Basileæ, Inlyta & Herbipoli,

Triplex hic Proepiscopatus, triplex hæc Corona, ut in laudem Marii maximam cedit, ita pariter Vocazione tam sublimi ubique se dignum reddere studuit. Anno 1540. mense Junio Fuldensem Ecclesiam, a Rebellibus Rusticis hactenus profanatam, ex ejusdem Ecclesiæ Reverendissimi Abbatis, ac Principis invitatione reconsecravit. Anno eodem summo cum luctu amisit summum Benefactorem Mecænatem, Principem, & Episcopum suum Conradum. Gratitudinis ergo, ob multiplices gratias, & beneficia, Mario impensa, Illius Epitaphium hoc transcribo, quod tumbæ optimi Principis inscriptum, pia posteritas: *Conrado a Thungen, Episcopo Würzburghensi, & Franciæ Orientalis Duci, præcipue Viro iustitiae, egregia eruditionis, temperantiae singularis, acutissimique judicii: quem primo statim administrationis suscepit limite arreptum vesani hujus Sæculi dissidium, sedatio, & calumnia severiter*

G g g g 2

diss

diu, ac contumeliose habitum, una cum Ecclesia ejus extremo pene subiecissent internectioni, ni Deo suffraganti adversus iniquissimæ fortunæ procellas vigili prudentia, infrausta dexteritate, tolerantiaque miranda gnariter superasset, æquiore Sæculo dignissimus. Vixit annis plus minus 74. Præfuit annis 21. mensibus quatuor, diebus 10. Obiit 16. Cal. Julij, anno Salutis 1540. communis suorum mærore, & lustu.

Ut umbra corporis, sic fascium  
Cura, labòr, ærumnæ atque mille pericula.  
Quæ sirenæ utentem sequuntur undique  
Sed vincit ille cuncta, qui fudit Deo.

Tanto, talique Principi in ambris fuisse Marium specialis laudis Thema facit. Successit Conrado eodem anno Conradus a Bibra, qui Augustinum in Proepiscopum munere pariter confirmavit, multisque auxit gratiis. Sub hujus regimine de illius consensu mox anno 1541. reconciliavit Ecclesiam in Herlheim Diæcesis Wirzburgensis. Eodem anno Sacellum B. M. V. in Monasterio cellæ Dei Superioris mense Martio dedicavit. Hujus Dedicationis memoria ibi quondam inter alia sequenti Disticho notata legebatur:

Abbas ædiculam Thomas restaurat ut illam,  
Sancto sic Marius chrismate sacrat eam.

Octavo Cal. Aprilis.

Interim multimodæ Ecclesiarum sollicitudines, quotidianæ curæ & labores temporibus maxime exulceratis vires zelosissimi Præfulis adeo enervarunt, ut sepe cum variis infirmitatibus conflectaret. Narrat de illo Frisius in Chronico Wirzeburgensi sub Conrado IV. Episcopo eum primo in curia Fratrum vulgo Bruderhof habitasse. Deinde esse melioris valetudinis ex aere liberiori haurienda ad curiam Vicariæ S. Matthæi Apost. & Evangelistæ Ecclesiae collegiatæ Haugensis emigrasse. Ibi cum anno 1542. die Jovis Sancto Cathedrale templum accedere infirmitate prohiberetur, sacrum oleum in suo conclavi super altari (ut vocamus) portatili consecravit, quod sacra functione peracta deinde in dictam Cathedram Ecclesiam, condecenti Processione sub Baldachino est relatum. Horum notitiam fere omnem Groppio in acceptis referimus.

## §. XVI.

### Augustini Marii Mors & Sepultura.

**C**onditores Wirzeburgensis, & Frisingensis Episcopatum Historiæ unanimi calculo ad annum 1543. mortem Marii ponunt. Anno 1543. die 25. Novembris, ait Groppius, vitam mortalem cum immortali commutavit, æternæ retributionis præmia pro exantlatis tot laboribus in cælis consecutus est anno ætatis suæ 58. Michelbeckius idem tradit in Hist. Frising. P. I. p. 314. ubi sequentia legimus: Anno 1543. e vivis pie excessit Reverendissimus D. Marius Proepiscopus Frisingensis, natione suevus, Locherensis, Læherensis, in Inlyto Collegio ut moniti summus, Canonicorum Regularium ad Insulas Wengenses Ulmae Divi Augustini Regulam professus; postquam ob summam Doctrinæ laudem, ex Universitate Viennensi reportatam, primum in Ecclesia Cathedrali Ratisbonensi Concistoris munus obtinuit, ac postea etiam sublimiore gradum consecutus, Episcopus Sidonis (falsum hoc, Salonenensis fuit Episcopus, juxta versiculum ad interrogationem Viatoris: cuius & Antistes; cui respondet Marius: Prisca Salonenensis me Ecclesia Scavia jecit) & Proepiscopus Frisingensis renuntiatus, adversus Novatores qua voce, qua calamite strenuissime decertavit. Mortuum esse Marium, tanquam Suffraganeum Heribopolensem, in Franconia Metropoli, ac in Cæsario Cellensi, apud Præmonstratenses, afferit Höhnius Chronologia pag. 172. sepultum jacere, certum esse. Est Cellensis Præmonstratensis Ordinis Canonica, & in Capite Reverendissimo, & venerabilibus membris etiam hodie florentissima; ad quam vivens Marius, ad refocillandum corpus, & defessum tot curis spiritum sèpius solebat in vita excurrere. Amavit candidissimi hujus Ordinis Sodales, multisque favoribus, in illos collatis, gratum ostendit.

ani<sup>4</sup>

zanimum. Praeter alia suos iisdem libros testamento reliquit, & voluit illos post mortem quotidianis in sacris apud Deum Oratores. Saxo, octo circiter pedum oblongo, tectum fuit illius sepulchrum. In parte superiore lapidis Insula Episcopalis spectanda erat excisa; subtus referebat Pastorale Pedum, in tres partes distractum. In medio lapidis duo haec legebantur verba:

### M A R I V S E R A M.

Infimam partem lapidis gemina Armorum scuta exornabant, ex summa Cæsaris gratia ipsi olim concessa. Quænam fuerit tumuli Inscriptio, me lateret; & fors etiam Cellenses modernos, nisi lucem Christophorus Aulæus mihi accenderet; qui in floribus Illustriorum Epitaphiorum fol. 335. hanc inscriptionem, ac hoc Epitaphium Augustini Marii prodit:

Qui Marium saltem putat hoc recubare sepulchro,

Illius humana mens ratione caret.

Cum Mario quoniam Pietasque, fidesque jacentes,

Divelli a Domino non potuere suo.

Pauca haec satis utique fœcundum laudis tributum Præsuli Mario post mortem conferunt. In documentis nostris Domesticis nullum omnino deprehendo vestigium mortis insinuatæ Wengensibus Canonicis. Sed nec hoc mirum; illo enim tempore tantis fluctibus impedita fuit nostra Insula, ut vix tribus digitis distaret a totali naufragio. Ulma nostra fuit in varias Religionis factiones discissa. Meritis simus noster Ambrosius cum Exilio potentissimi malis luctabatur, Collegium Wengense inquilinis omnibus desertum, bona temporalia sub administratione Incliti Magistri constituta, animi civium in Religione discordes, Exercitum publicum restrictum, spes Restitutionis vel nulla, vel modica, Cælum ad preces piorum videbatur ex ære fusum, aut clausum, ne penetrarent suspiria. Paucis: inter res jam derelicas computabatur principalis Fundatoris nostri Wittigogi tot bonis, tot Fundis, ac Privilegiis ditata Domus nostra; quæ omnia minime fuere incognita Mario, ejusque hæredibus. Cum tamen in mortis confiniis constitutus, gremio Matris suæ benefacere haud potuerit, haud dubie in cælo beneficiorum olim perceptorum memor, sua intercessione meliorem illi faciem, ac fortunam impetravit a Deo; annis enim post illius discessum sequentibus sensim dissipata sunt Nubila, & clementior Phœbus infelici ob Religionis turbas, exulique Ambrosio affulgere cœpit. Sed non hoc pertinet fatorum magis faventium commemoratione. Nos alio vocat Præmonstratensum Cellensem erga Marium nostrum defunctum pia gratitudo.

### §. XVII.

Monumentum, a Canonicis Cellensibus Mario post fata excitatum.

Ad vadem omni exceptione majorem in rei hujus narratione iterum appello, unum scilicet, & scriptorum Würzeburgensium Authorem; qui solus, quod scio, primam de hoc monumento notitiam in sua collectione publico tradidit. Audiamus itaque loquentem: Religiosissimū, inquit, Canonicī Cellenses Patres, amorem amore compensaturi, memoriae Augustini, qui suum denique corpus ipsum in eorum Ecclesia sepeliendum illis in pignus amoris dedit, insigne Monumentum ex albo marmore erexerunt: quod nostra ætate in ultima ejusdem Ecclesie elegantiore Renovatione, ob inducendam, & tenendam symmetriam, loco motum, modoque in frusta comminutum dolent. Attamen non nemo rude quoddam illius schema persimilior calamo in chartam projectit, hacenus a Reverendissimo D. Suffraganeo, Joanne Bernardo conservatum: a quo idipsum cum ipsa inscriptione benevolentissime communicatum accepi. Ego eam inscriptionem, ceu vitæ, & numerum Augustini Episcopi brevissimam Epitomen, hic subycio; dum interea iysummet Monumentum a celeberrima Cellensi Canonia, quæ illud novissime peritiori penicillo pereleganter depictum obtinuit, in perenne tanti viri, deque illa optime meriti memoriam, & reciproci amoris tesseram aliquando publico communicandum expectamus; quo eam, quam in illius destructione passi sunt, jaclaram aliquali ratione compensabunt. Inscriptio in duo infima latera Monumenti bifariam distincta talis est.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

H h h h h

AP-

## APPENDIX ad §. XVII.

In dextro Latere.

Vitæ Augustini Marii C. R. Wengensis, Episcopi Salonensis,  
Exegesis,

Sive

**Epitaphium Augustini Marii Episcopi Salonensis**, ac Wirzeburgensis Suffraganei, quod ad parietem Chori  
in Ecclesia superioris Cellæ positum erat.

Ex Chartaceo nobis a Cellensibus Canonicis communicato.

Læhra me genuit, sed Nobilis educat Ulma,  
Wenga capit sacra Religione virum.  
Culta Vienna docet rite, Doctumque coronat;  
Pergo Ratisbonam, Mystica Sacra docens.  
Inde Salonarum Præful contendo Frisingam,  
Fungens officio Antistitis ipse pii.  
Hinc vocat ad munus geminum Basilea sub Oeco-  
Lampadii in partes Dogmate scissa duas.  
Heripolis tandem Verbi Præcone perusa,  
Injunxit fido Præfulis ipsa vices.  
Hoc tibi describor dubio pietas mate, Lector,  
Unica cui Christus, cætera vana, salus.

Obiit Anno Domini MDXLIII. Novembris,  
Sequimini.

## Colloquium Viatoris, &amp; Marii.

- Viator.* Dic, quid eras hominis?  
Augustinus eram Marius, quem Læhra profert.  
*Viator.* Munere quo functus?  
*Marius.* Præconis primo Regeburgi deinde Frisingæ  
Post Basileæ; avida protinus Heripoli.  
*Viator.* Cujus & Antistes?  
*Marius.* Prisca Salonensis me Ecclesia Sclavica jactat.  
*Viator.* Suffragator ubi?  
*Marius.* Frisingæ, Basileæ, Inlyta & Herbypoli.  
*Viator.* Vox tibi qualis erat?  
*Marius.* Tumea, Christe, Salus, sensi dum prospera, contra  
Nil sine menda, cum me rapuere mala.  
*Viator.* Unde hæc magnifica Arma tibi?  
*Marius.* Testes virtutis Cæsar dedit, atque laboris.

Sequimini Posteri.

Ex

Ex ultimo versiculo colligimus, Marium, ob insignia in rem Catholicam  
merita specialibus armis, seu insignibus fuisse ornatum ab Augustissimo Cæsare,  
Carolo Quinto; Laureolam autem Doctoratus meritissimo illius vertici imposuit  
Vienna, animam illius gloria & honore in æterna felicitate coronavit Deus.

Elogium Augustini Marii, Suffraganei Wirceburgensis, in Choro Cellen-  
sis Ecclesiæ positum.

Huic Epitaphio addi meretur Elogium quoque illud, quod in Cellensis Eccle-  
siæ Choro appositum erat ad murum, atque Augustini Marii res gestas compendio  
referebat. Laborantem ille Orthodoxam Religionem, morumque disciplinam in urbe, ac  
Diœcœsi Wirceburgensi, intestinis etiam tumultibus æstuante, suis suffulciebat studiis; cum  
eo Consiliario in moderandis Ecclesiæ afflictæ causis, circa annum 1529. Conradus a Thungen,  
Wirceburgensis Episcopus uteretur. Herbipolensis Suffraganeus creatus, munus hoc  
adhucdum anno 1542. obiisse legitur in M. S. Wirceb. Chronico Laurentii Fries; quando  
adversa jam fractus valetudine, die Jovis sancto operabatur Sacris in  
Conclavi, oleumque consecrabat. Morbit tandem diuturni vis illum absumpit an-  
no 1543. die 25. Novembris; quem Cellensis templi Choro, tumuloque fuisse  
illatum, M.S. Wirceb. Annales indicant. Exstat etiam æri incisum, in Folio me-  
dio brevioris formæ, inter varia symbola Augustini Marii nomen; cui superius ad-  
ditur Lemma ipsi familiare: *nil sine menda.* Sed in eo Folio quatuor duntaxat Di-  
sticha leguntur, typis excusa; tria nimirum priora atque ultimum ex funebri Elo-  
gio, quod infra hic adjungitur, ac quidem mutatis aliquantum verbis: quartum  
vero, & quintum Distichon, quod res Basileæ gestas memorat, prorsus omisum  
est; unde conjectare fas est, Augustinum Marium, cum ad propugnandam fidem  
Frisinga Basileam evocaretur, in discessu suo hoc sibimet adhucdum vivo, at non  
sine præsente viræ discrimine, in civitatem intestinis motibus fidei causa concussam,  
abeanti monumentum posuisse. Hac ratione explicare quoque pronum est Epo-  
cham, inferius in illa imagine positam: *Kalen. Marii MDXXII. Etatis XXXVI.*  
quibus verbis conjicitur, Augustinum anno 1522. die 1. Martii discessisse Frisinga;  
cum annos natus esset sex, & triginta, indeque Basileam, ac denique anno 1529.  
Basilea Wirceburgum venisse; ubi ad Consilia Ecclesiastica adhibitus, sub id tem-  
poris fuit: donec Joanni Reuter, Suffraganeo Herbipolensi Ord. Fratrum B. V. de  
monte Carmelo, qui anno 1536. die 8. Februarii e vivis excesserat, ipse, cum ante  
Frisingensis Suffraganeus jam esset, Herbipoli successorit. Haec tenus Cellense  
Apographum.

### §. XVIII,

#### Marii Labores Litterarii.

**M**arium ore, & calamo magnum sibi peperisse nomen, illudque æternæ Poste-  
rorum memorie inscripsisse, partim ex jam dictis constat; nunc autem ex-  
aciorem Scriptorum suorum notitiam dabimus.

Laurus itaque Marii non viruit tantum, sed etiam in fructus prodiit primo  
Basileæ, cum adhuc sacri Præconis fungeretur officio. Testis est Libellus, quem  
scripsit, quiq[ue] adhuc extat; testem alterum agit Chronologæ Ordinis FF. Ere-  
mitarum Author, F. Antoninus Hæhnus pag. 172. ubi ait: *Scriptit Illustris iste Ma-  
rius adhuc Prædictor Basileæ Libellum contra rebaptizantes germanico idiomate in parvo  
Ostavo.*

Alterum scriptum, quod ex fidei Catholice zelo edidit hanc inscriptionem  
habet: Guimundi Archiepiscopi Aversani de veritate Corporis & Sanguinis Christi  
in Evcharistia, tres insignis eruditio[n]is Libri vetusti; sed jam primum propter  
ingrassantes passim Sacramentorum evertores in lucem editi apud Friburgum Bris-  
gaudiae; excudit illum in forma octava minore Joannes Faber Emmeus Juliensis  
anno MDXXX. Hos libros elegante Epistola dedicavit Reverendissimo in Christo  
patri, ac Illustrissimo Principi D. Conrado Herbipolensis Ecclesiæ Episcopo. In qua  
Epistola de occasione loquens, qua Codex M. S. horum librorum in manus suas  
devenerit, ita differit: offerebatur mihi nuper Basileæ adhuc, navim Christi, pro-  
ra, puppique illisam anchora divini Eloquii retinentis, Libellus quidam doctus,  
& elegans, a Docto certe, & erudito viro, Matthia Ster, Monasterii in Mansmin-

H h h h h . 2

ster

ster Parocho; quem rustica furia Cœnobium Marpacense devastante, in puteum demerserat, cum plurimis aliis ejusdem loci Bibliothecæ libris nobilissimis, & quia casu in viri manus incidens, ut aliquando in publicum prodiret, non indignus est judicatus. Quod procul dubio fuisset factum, si per concitatum Basileæ tumultum ab eo non fuisset præpeditus negotio. Qum igitur tum commode fieri nequiverit, sed Friburgum Brisgoicum veniens, penitus contemplarer phrasin, & energiam Authoris, omnino Magistro Matthiæ subscripsi, atqne curavi, uteo edito commonstretur, quidnam Sacramentaria illa Lues, & vertiginosa opinio denegetæ præsentiae Corporis & Sanguinis Christi in Evcharistia, Missamque non esse Sacrificium assertio, non nostro tantum Sæculo, sed ante aliquot Sæculorum centurias attenterat, & quomodo frustra jactet cæca illa lampas Oecolampadium pungit, spretis maternis, divæ scilicet Birgittæ revelationibus, novo Spiritus sancti suffusam se lumine &c. Notatu digna est, & meretur, ut tota hic transcribatur trium librorum Guimundi conclusio, quam fidei pugil Marius apposuit. En illam!

### Marius Lectori.

Hæc sunt, Lector Christiane, nobis in Exemplari satis vetusto, situque squido, de tribus Guimundi Libris allata, quæ, quanta potuimus, diligentia perlustrantes recognovimus, & si qua Librarium errata invenimus, pro ingenii nostri tenuitate restituimus, antequam typis Julianensis nostri Calcographi fidelis, & vere Christiani, excudenda daremus: sed, quantum licuit, ultimus discessus nostri sesquidie, in quo ea a nobis extorxit. Et minime dubitamus, non nihil, & fortassis non parum coronidi hujus tertii libri deesse; cum ultima illa adducta Ambrosii Authoritas mutila sit, & non tota adducta: sic enim in Ambrosii L. V. de Sacramentis cap. 5. adnectitur Litteræ contextui Ambrosii: *Et ante verba Christi (intellige, quæ fixe supra legisti, hoc est enim Corpus meum) calix est vini, & aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potest sermo Christi, universa convertere.* Hæc & nonnulla alia ad finem Capitis usque adducit, & per totum Caput sequens Ambrosius.

Quia vero uno duntaxat, & eo, ut jam dixi, illegibili, sum usus exemplari, quomodo concluserit Guimundus, modo non potuimus afferere; noluimus nihilominus te tanto thesauro privari, quoad usque totum fuerimus nocti opus, sed & adhortatum iri, ut illa legas, relegasque, utque eo majorem compassionem cum plurimis adhucdum tum Basileæ, tum alibi, tum viris Senatoriis, quam privatis habeas, qui non, nisi vi furoris Sacramentarii illius spiritus, quam Asmodeum nemo non videt esse, detentis Ecclesiasticis carent ritibus, & sanctæ Doctrinæ Decretis. Qui & profecto, quoniam, hæc, & similia jam dudum centies audierunt, ante quingentos annos & acta fuisse, & scripta, in Concionibus suorum Præconum, eadem eo crederent fortius, quum viderunt Authores, qualis is noster Guimundus est, atque etiam Algerus simul, & Rogerius, quos etiam suo tempore es habiturus tales, & tantos. Ex quibus intelligent omnium ætatum Mirmillionibus, suos contigisse retiarios, nec unquam quidpiam potuisse eos contra Dominici Corporis & Sanguinis tam veritatem, quam Sacrificium; sed mox, ut vibrantem ensim, & mucronem, eruto de Verbi Divini scuto, & veritatis Christi galea, atque justitiæ thorace objecto, reti Piscatoris jussi duci in altum a Christo, ipsorum fuisse capita involuta, & in Plutonicas paludes tam Doctores quam Doctrinas eorum præcipitatas. Quod & his nostris temporibus nequaquam dubitamus futurum; studeamus duntaxat emendandæ malæ nostræ vitæ in meliorem. Vale Friburgi XXVI. Maij anno 1529.

Sane, si sermo certus, & infallibilis sit animi index, ex hoc discursu Marii nostri interiora omnibus patent, omnesque vident, quanto fervore, quantisque ignibus ad defendenda semel veræ fidei Dogmata intus fuerit accensus, qua, & quanta verborum elegantia sese potuerit explicare.

Tertia invicti hujus Pugilis Lucubratio fuit Libellus Polemicus, Basileensi Magistrati anno 1529. nomine Catholici Cleri, ac ejusdem communionis Civium oblatus; quo contra Novatores, Missæ Sacrificium pro vivis & defunctis utile esse, ac divinitus institutum probat, cui orationem suam Oecolampadius opposuit. An gemini hi Libelli impressi Basileæ fuerint, an vero an vero in Manuscriptis duntaxat Magistrati sint exhibiti, affirmare non ausim. Quarto loco memorandus hic venit Manuscriptus codex, inter plures alios libros, typis impressos, a Mario in Bibliotheca Inclytæ Canonice Cellensis affervatus, sub hoc titulo: *Sermones Mariani pro tempore peregrinario, Dominicis diebus, partim anno 1525:*

1525. Basileæ , partim anno 1529. & 30. Heriboli habitæ . Post unam Concionem ita legitur: Dominica post Pentecostem Sermo primus , Heriboli habitus anno Domini 1429. Minime dubitare licet, hujus codicis Authorem esse Marium; hinc Marius Sermones in eo contentos nominavit a suo cognomine, non autem ex alia ratione, quasi essent in Festivitatibus Mariae Deiparæ sacræ habiti; expresse enim additur, quod Diebus Dominicis illos in sacro ambone ad populum dixerit. Hanc notitiam suppeditavit sapientissime jam laudatus Ignatius Groppius; qui addit: ex dicto M. S. Codice, ac ejusdem Concionibus eruitur, Marium alias subinde civitates, atque nostram Wirceburgensem quacunque demum ex causa, vel occasione factum id sit, invisiſſe. Hæc verba, ni fallor, intelligi debent de annis præcedentibus, quibus nondum Marcius Episcopo Wirceburgensi a Consiliis, & a Concionibus fuit.

Christianus Theophilus Joecherus Augustino Mario Salomensi (Salonensi scribere debuisset) titulari Episcopo, Proepiscopo autem Heribolensi sequentia Opera tribuit in eruditiorum auctiore Lexico pag. 187. Tomo III.

Commentaria in Logicam, Physicam, & Libros de anima,

Exercitium veteris artis.

De falsis Prophetis, tam in persona, quam in Doctrina, vitandis.

De Prædestinatione Divina.

De Prædicatione Evangelica.

Citat hac super re Gandulphum de 200. Scriptoribus Ord. FF. Eremitarum sancti Augustini; ex qua causa etiam antiquam crambem recoquit, Marium fuisse Eremitarum Ordinis Sodalem; quod, quam falsum sit, nemo non palpat. Eḡt de Eremitanis Scriptoribus etiam Elsius, ac plures Augustinos Marios sui Ordinis enumerat; quos cum D. Augustino Mario, in exemptis nostris Insulis professo confundunt, ac in unum conflant. Valde, & merito quidem, dubito, an recensisti libri eum veritate adscribi possint nostro Mario; præsertim Commentaria in Logicam, Physicam, & Libros de anima. Marium nostrum Magistrum fuisse Liberalium artium, videtur quidem erui posse ex notitia Viennensi, nobis communicata; in qua Magister dicitur: de scriptis autem ab ipso Philosophicis, Commentariisque ex nullis mihi tabulis probatur. Quid intelligatur per Exercitium veteris artis, me prorsus latet; serua semper fuere Marii Doctoris studia, & potissimum ad Theologię profunda se demisit. Reliqui tres Libri de falsis Prophetis, de Prædestinatione, de Prædicatione, videntur quidem ad genium Marii esse, ab ejusque fidei zelo contra Novatores minime abludere: verum id Authoritate decente destitutus facerem. Fors ad aliquem Augustinum Marium pertinent, ab Elsio commemoratum; hic ignorantiam meam libens profiteor. Dum ista scribo, ac Höhnii Chronogiam evolvo, invenio, illum Bartholomæo Arnoldi de Ussingen adscribere duos ex recensitis Libros, hisce verbis. scripsit, Bartholomæus Ussingius, Librum unum de falsis Prophetis, tam in persona, quam in doctrina vitandis a fidelibus. De Prædicatione Evangelii, quibus scilicet conformiter debeat prædicari Evangelium. Gemini itaque hi Libri minime pertinent ad nostrum Præsum. Adjustitiam distributivam pertinet, ut cuique tribuatur suum. Addere adhuc liceat sequentes Marii versiculos, qui in Bibliotheca Wiblingensi reperiuntur:

Aristotelica quædam ad Alexandrum M. Adagia atque Dictoria a F. Augustino Mayer, Ulmensi apud Wengos Regulari &c.

Nitere, vera loqui, solus manerasque frequenter;

Mentis propositum pauca verba canant.

Quæ pangenda tibi occurrunt, maturus inito,

Iratumque animum mox cohibeo tuum.

Colloquio parcas, vitium fugito, memor esto,

Mortis adesse diem, fer miseris & opem.

Protinus ignoto debes nunquam associari,

Cunctis nec dictis est adhibenda fides.

Hosti non tuto credas, qui factus amicus,

Arte solet fari blanda, ferire retro.

Commutare nequis, quod sponte tua, cito linguis

Disceptare viro cumque potente cave.

Tom. V Conn. Regg. Orig. Pars altera. I i i i i

Po-

Pectore si qua cavo secreta geris , mulieri ,  
 Et pueris fiant ne manifesta , vide.  
 Nam nihil occultant , nisi , quod non dixeris ipsis ,  
 Credere si nolis , experiare , placet.  
 Scripsit Alexandro , Præceptor dum fuit ejus ,  
 Doctus Aristoteles , quæ documenta legis .  
 Cujus dicta Sophi Augustinus Mayer aravit  
 Carmine , Posteritas ut memorare queat .

## Ad Lectorem.

Hypocrenæo satur est quicunque liquore ,  
 Castiget digitis carmina nostra suis .

Tantum est , quod ex Scriptoribus variis dicendum habui de Augustino Mario ; qui plura sciunt , illis debo omnem humanitatem , & decentissimas habebo gratias , si communicare mecum illa volent .

## §. XIX.

## De Effigie Bartholomæi Arnoldi , ejusque Inscriptione.

**R**efert M. F. Antoninus Höhnius in Chronologia sua Provinciæ Rheno-Suevicae , Ordinis FF. Eremitarum S. P. Augustini , Doctorem Marium pia memoriam pingi curasse effigiem Bartholomæi Arnoldi de Usingen , hisce verbis : quæ pag. 171. recitantur : *Bartholomæum Usingum in visitatione omnium Cœnobiorum Diœceseos Heribopolensis adhibitum fuisse , Sermones propria illius manu conscripti , & Herbipoli extantes testantur . ( M. S. Petermann ) Augustinus Marius enim , Proepiscopus Herbipolensis , ad illud munus Usingum , quondam Magistrum suum , ex pietatis , ac fidei zelo , prudencia , judicio , & rerum agendarum peritia aptissimum fore agnovit ; cui etiam post obitum , gratitudinis causa , in antiquo Refectorio Herbipoli Effigiem pro memoria pingi , ac ponni curavit , cum subscriptione : Bartholomæo Arnoldi Usingo , Augustiniano Theologo Augustinus Marius , Theologus , Doctor , Saloniensis Episcopus p. p. p. p. Discipulus . Quæ quatuor p. Milensis in suo Alphabeto optime interpretatus est , significare : propter pietatem pingi præcepit . Hujus Effigiei Inscriptio multiplicis erroris scriptori huic , alias industrio , ac multa laude digno occasionem præbuit : Examinare liceat viri optimi discursum .*

Primo asserit , Marium Bartholomæo Usingio usum fuisse in visitatione omnium Cœnobiorum Diœceseos Herbipolensis , cum ille ageret Proepiscopum . At vero ætate Bartholomæi nondum Pro-Episcopi munus gessit Marius . Bartholomæus ipsomet fatente Hænio , obiit anno 1532. quod ex Lapide sepulchrali probat in antiqua Eremitarum Ecclesia ad altare S. Nicolai erecto , cui hæc verba legebantur insculpta : Mnemosynon Religiosi Patris Bartholomæi de Usingen , Theologi integrimi , Ecclesiæ contra Lutheranos invicti propugnatoris , hic locatum anno 1532. Marius autem hoc anno nondum Proepiscopi honore fulsit , sed illum primum post annum 1536. adiit ; quod supra probavimus : ergo Bartholomæus nunquam vidi Marium , hac dignitate ornatum .

Secundo asserit loco cit . Usingii Effigiem in antiquo Refectorio cum prædicta subscriptione fuisse locatam ; pagina autem 168. aliam inscriptionem ad ejus effigiem olim positam narrat , scilicet hanc :

Olim me Luther fit Præceptore Magister ,  
 Fit simul & frater Religione mihi .  
 Deseruit sed ubi Documenta fidelia Doctor ,  
 Detexi Primus , falsa docere virum .

Ex

Ex hoc satis manifestum redditur, inscriptionem hanc posteriori tempore fuisse mutatam, & supra allegatam recentiorem esse. Nihilominus

Tertio ex posteriorie hac subscriptione probare conatur, Augustinum Marium fuisse hujus Usingi, viri, omnium testimonio celeberrimi Discipulum, & condiscipulum Lutheri; e quod *Discipuli* nomen in illa occurrat, ceu ab ipso Mario subscriptum. At toto cœlo aberrat hujus Lemmatis Author; nec enim unquam Augustinus Marius vel discipulus Usingii, vel condiscipulus Lutheri esse potuit. Dicit quidem triginta annis, ut ipsemet fatetur eruditus Höhnius, in floridissima tunc Academia Erfordiens, ac in hac Universitate Lutherum habuit discipulum; Marius autem noster studiorum gratia nunquam vidit, nunquam profectus est Erfordiam, sed post hausta Ulma prima studiorum elementa, vestem Canonicam in Collegio Wengensi expetit, ac obtinuit, actria Religionis vota emisit. Ulma ex Privilegio, a summo Pontifice obtento, ad Universitatem Viennensem perexit, ibique habuit usque ad annum 1521. in Viennensi Universitate promptus in Doctorem & Decanum sacræ Facultatis directe Ratisbonam contendit, Ratisbona Frisingam, Frisinga Basileam, Basilea Herbipolem fata duxere, ut supra demonstratum est. Nulla veri specie nititur, quod unquam aut Usingii discipulus, aut condiscipulus Lutheri esse potuerit.

Quinto in eam opinionem delabitur P. Höhnius, Augustinum Marium nunquam fuisse Ordinis Canonorum Regularium, carpens propterea Clarissimum rerum Würzburgianum Collectorem, & illius documenta ex Præmonstratensium Cellensium Cœnobio omnino præterit, solosque versiculos exscribit ex Codice quodam Cellensi, a Groppio allatos, jam a me supra allegatos, hos scilicet.

Læhera me genuit, quemque educat Ulma puellum,  
Wenga facit sacra Religione virum.  
Erudit, *INSIGNEM* videt quem docta Vienna,  
Quoque Ratisbonæ semina spargo Dei, &c.

Hosce versiculos pro plane conficitur. Isti versus, ait, vix ab ipsomet Augustino Mario scripti fuerint, eo quod vir tam pius, & prudens non sibi meti ipsi propriam laudem *INSIGNIS* dederit. Argumentatio plane frivola! quasi vero per hanc vocem Augustinus noster aliud dicere voluerit, quam se Viennæ Doctoratus insignibus fuisse ornatum. Nulline Doctori, absque pietatis, aut humilitatis dispendio, licet promotum esse in Doctorem?

Quinto duo positiva argumenta assert. Primo, quod Milensis inter Eremitanos Scriptores refert, qui ad initium Sæculi septimi Alphabetum Ordinis scripsit. Scripsit per me, sed falso. Alphabetum hoc nunquam oculos meos subiit; secundo, certum hoc haberi existimat ex effigie, & suppositis a Mario verbis, quod fuerit Usungi discipulus. At, Marium hunc nostrum nec esse potuisse, nec fuisse, illius discipulum, qui mea hæc legent, omnibus persuasissimum, & demonstratum erit; fallit itaque Inscriptio.

Sexto tandem erit: concessu, quod primitus Marius fuerit Regularis Canonicus, potuit mutuasse, ut tunc sæpe fiebat, vitam strictiore obseruantia. Potuit mutasse; ergo mutavit? quis consequentiam hanc probabit? nulla, & pessima argumentatio est de potentia ad actum. An Marius, deposita veste Canonica, Eremitarum cucullum induerit, quæstio facti est; facta debent probari: quomodo probat Höhnius? ubi cucullum assumpit? sub quali Ordinis Præside? quo anno? an post adepta Doctoratus Insignia? Viennæ? an Ratisbonæ? an Basileæ? an Frisingæ? an Herbipoli? mirum est, hujus rei nullibi vel minimum extare indicium. Quomodo ergo probat hoc factum? at discipulum Usungi se vocat; transfeat. Iterum nulla consequentia; Usungi discipulus fuit: ergo Eremitam induxit. Quot discipulos Usingius per annos 30. Erfurti habuit, an hi omnes Eremitarum institutum sunt simplexati?

Septimo laudat ingeniosam interpretationem P. Milensi hujus subscriptionis, qui litteram P. quater positam, hunc facere sensum credidit: Propter pietatem pingi præcepit discipulus; nescit autem rationem, cur Höhnius divinationem hanc Milensi, ceu optime factam, prætendat. Hæc verba: Bartholomæ Arnoldi Usingo, Augustiniano Theologo Augustinus Marius Theologus Doctor Saloniensis Episcopus; hæc verba, inquam, completem sensum jam habent, sicut verba, in Capitulo præcedente allegata: *Marius Lectori. Quid sit Littera P. quater repetita, nomen*

Pictoris duntaxat exprimit, qui quondam Usingi fuit *discipulus*? Litteras hujusmodi non raro præstantiores Pictores posteritati suum prodidere penicillum. Quid si, cum post mortem primum hæc effigies penicillo expressa fuerit juxta Höhnium, & hunc sensum cum voto faciat: *Pace Perpetua Perfruatur, Precatur discipulus?* Nihilominus semper sub nube erit, ac Posteritati incertum manebit, quisnam fuerit hic discipulus? similia autem in re seria proferre in medium, non est argumentari, sed nugari; abstineo proin ab hisce ineptiis, ac ad alia me converto.

## APPENDIX.

Brevis notitia de altero Augustini Marii socio, Martino Millio, itidem ad Insulas Wengenses olim Can. Reg.

### §. I.

Profitetur Martinus Religionem Canonicam sub Præposito Wengensi, Joanne Mannio.

**M**artinus Miller sive Myllius, juxta Sæculi decimi quinti, & sexti morem, appellatus, cujas, & unde domo fuerit, quibusnam parentibus ortus, nullam notitiam ex Collegii nostri veteribus scripturis haurire licuit. Illum Collegii Wengensis olim fuisse professum, & quidem sub Reverendissimo illius Præposito, Joanne Mannio, ad Sæculi decimi sexti initium, disco ex *Theatro honoris*, sive Historia celeberrimi Monasterii Wiblingensis, anno 1722. scripta; ubi Martini hujus Myllii mentio pag. 57. occurrit, ubi honorificam mentionem facit præfati Theatri Honoris Author Conradi Rhue Abbatis Wiblingensis XXI. qui anno 1504. die Julij 12. obiit, hisce verbis: luxit eundem (Conradum scilicet) D. Martinus Myllius Wengensis Canonicus Regularis D. Augustini, & ejus tumulo sequentes Versus inscripsit:

Abbatum nervus, Monachorum gloria, pulchrum  
Virtutis specimen, cum gravitate pudor.  
Religionis apex, hujus spes unica claustrum,  
Hac qui Conradus Rhue tumulatus humo,  
Præfulis in Wibling, Mitram qui fronte bicornem  
Primus suscepit, corpore, mente probus.  
Tu modo, qui hac transis, pia numina flecte precando,  
Ut repleat tanti spiritus astra Patris.

Ilo autem anno Collegii nostri habendas rexit præfatus Joannes Præpositus, quas primum anno 1509. dimisit. Sub hujus itaque Regimine Martinum Millium sub Canonico Habitū, in Leges Augustini jurasse, certum existimo.

### §. II.

Cum Augustino Mario proficiscitur Viennam Austriæ ad Studia.

**C**onfratrem & socium in Religione Canonica habuit Augustinum Marium, arctissima amicitia sibi conjunctum. Efflorescente studio generali in civitate Vienensi, studiorum amore accensus, & capacissimo ingenio instructus, cum Mario illuc profectus est, Pontificio armatus Privilegio, per septennium Ibidem permanendi. Adduco pro confirmatione hujus itineris verba, quæ in Chartulario nostro vetere recitantur: Dominus Martinus Millius, & Augustinus Marius, ambo Presbyteri, & in Wengensi Coenobio quondam professi, nostro a Canonicatu, Papali cum Privilegio, septennio Viennam venerunt, & aliquibus annis studii ob gratiam ibidem vitam duxerunt. Jam ad finem vergebant Academicum hoc septennium; quare timentes, ne a Michaelo Præposito suo, eo elapo revocarentur domum, novis precibus a Sede Apostolica pro extensione concessi Privilegii supplicarunt; cumque

que ob mores optimos Viennæ, & gregios in studiis profectus potentes amicos nocti essent, per testimoniales, commentatitias Litteras facile obtinuere eam gratiam, pro qua supplicarunt; clanculum tamen hæc omnia, inscio, ac invito suo Præfule acta sunt: qui probe perspectum habuit Collegii sui statum, ac pro conservatione Divini cultus, & domesticæ disciplinæ adeo solerter, ac zelose invigilavit, ut vir austerus passim fuerit habitus. Multum semper spei collocaverat in horum duorum virorum reditu, crediditque, illorum operam sibi olim jucundam, & utilissimam fore. Sed alia Dei, alia hominum fuere consilia. Advertit facile Præpositus, nec Mario, nec Myllio anxiū esse, completo studiorum curriculo, repetendi domum, nec acquiescendi paternæ monitioni; timens itaque, ne res ista parvo Canonicorum suorum gregi verteretur in scandalum, ex horum duorum filiorum suorum absentia se valde gravatum esse, illamque in detrimentum Divini cultus cedere, ac contra Fundatorum piissimam intentionem esse &c. Ergo supplicibus Romanam Sedem Litteris accessit, ac pro opportuno in hoc rerum articulo supplicavit remedio. Moderabatur tunc universalem Christi Ecclesiam Leo decimus, qui justis Michaelis precibus inclinatus, per Breve, ut vocant, speciale cavit illico, ne impetratum olim a geminis hisce nostris Confratribus indultum porro obesse posset; tres novæ hujus gratiæ Conservatores posuit, Episcopos scilicet, Constantiensem, Augustanum, & Præpositum S. Crucis Augustanum, Vitum Facklerum nomine. Datum est Breve Apostolicum anno 1515. anno sanctissimi Patris nostri, ac Domini Domini Leonis X. Pontificatus sui anno secundo, die sexta decima Martii: quas publicas Litteras in vita Augustini supra f. V. integras dedi,

### §. III.

Insinuatur a Martino, & Mario, Extensio Indulti, recentiter impetrata.

Reverendissimus Michael Præpositus propter obtentum Breve Apostolicum suis rebus faventissimum, mirum in medium recreatus, a publicatione illius per ali; quot menses abstinuit, ac moderatione utendum esse, ratus, ut filiorum suorum animos lucraretur. Quare anni studiorum finem expectare voluit, illoque tunc demum, revocandi domum, consilium cœpit; probabilius tamen per, nescio, quas, obtenti hujus Brevi notitia pervenit ad absentium aures. Quare uterque iterum Romanæ curiæ, ac Pontifici supplicarunt pro obtainenda gratia perseverandi diutius, studiorum ob causam, quam & ipsi, sub certis tamen conditionibus, impetrarunt, manente nihilominus in valore Brevi Pontificio. Cum Privilegium hoc novum suo Superiori, ne inobedientiæ crimine semacularent, pér quemdam Notarium, Petrum Niester dictum, sub finem anni Scolastici 1515, vigesima nona Augusti insinuari curassent, novitate rei percussus, & minime habita deliberatione, in has, aut similes voces erupit: *Nos appellamus ad Sanctissimum nostrum Papam, Leonem decimum, non bene informatum, ad melius informandum.* Quæ sua verba tam paucis post diebus publico Instrumento retractavit; quod integrum mox referam: ex quo, ni fallor, satis clare desumendum, in insinuatione prædictæ gratiæ a Canonicis his impetrata, fors sese insolentiore exhibuisse, nec eo modo partes suas obiisse, quo modo ipsi fuerat a partibus commissum. Ex publica hac Retractatione etiam intelligimus, qua veneratione, & cultu Reverendissimus, & plane meritissimus Præfus noster erga Romanam Sedem, ejusque Decreta fuerit. Quare potius in laudem illius, quam vituperium Instrumentum revocationis recitabo, quod est sequentis tenoris:

In Nomine Domini Amen! Universis & singulis hoc præfens publicum Instrumentum vñtris, lecturis pariter, & audituris pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate ejusdem Millesimo, quingentesimo, decimo quinto, Indictione tercia Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Leonis Papa decimi, anno ejus tertio, die vero vicepsima nona Mensis Augusti, hora undecima, circa meridiem, in Oppido Imperiali Ulma, Constantiensis Diæcesis, & illic in Monasterio ad Insulas Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini, dictæ Diæcesis, Provinciæ Moguntinæ, in solita habitatione Domini Præpositi, personaliter constitutus Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Michæl Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera, K k k k k Prae

Præpositus dicti Monasterii ad Insulas Principalis & principaliter pro se ipso, in mei, Notarii publici, testiumque infra scriptorum præfencia, exponendo proposuit, quod nimirum verum esset, quod paucis transactis diebus quidam assertus Notarius, Petrus Niesser nonnullos Processus, absque tamen mandato, taliter, qualiter sibi ex parte quorundam, Augustini Mayrs, & Martini Millers, Presbyterorum Professorum, & Conventualium dicti Monasterii ad Insulas, insinuaverit, ipseque dictus Dominus Præpositus ex abrupto, & minime præhabita deliberacione hæc, aut in effectu similia verba vivæ vocis oraculo duntaxat protulisset, videlicet: *Nos appellamus ad Sanctissimum nostrum Papam Leonem decimum, non bene informatum, ad melius informandum.* Cum autem sapientis sit, propositum in melius commutare, & præcipitanter acta reformare; idcirco certis de causis ad id animum suum merito moventibus, bene deliberatus, & avisatus, ex ejus certa scientia, & spontanea voluntate, ac proposito deliberato, omnibus melioribus, modo, via, causa, forma, & effectu, quibus de Jure melius, & efficacius fieri deberet, dictam suam Appellationem vocalem, & extrajudiciale, specialiter, & expresse revocaret, cassaret, & annularet, ac defacto revocavit, cassavit, & annulavit, & nullius roboris, & momenti esse voluit, requires me Notarium publicum subscriptum, ut sibi supra præmissis omnibus, & singulis unum, vel plura, publicum, vel publica Instrumentum, & instrumenta conficerem, & confecta traderem tot, quot sibi erunt necessarium, & necessaria. Acta fuerunt hæc anno, Mense, die, hora, Indictione, Pontificatu, & loco, quibus supra, præsentibus tunc & ibidem honorabilibus, & discretis viris, Domino Caspar Vischer, Domino Caspar Wutm Presbyteris, & Capellani Ulmae, Christophoro Winckelhofer de Ehingen, & Bartholomæo Haun de Wangen, Clericis Constant. Diæcesis, Ulmae morantibus Testibus, ad præmissa vocatis, rogatis pariter, & requisitis.

(L.S.N.)

*Et ego Hieronymus Winckelhofer de Ehingen, Clericus Beneficiatus Constantiensis Diæcesis, sacris Apostolica, & Imperiali Auctoritatibus Notarius publicus. Quia præmissorum revocationi, cassationi, annulationi, & cessioni, omnibusque, & singulis aliis, dum, sicuti præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænomina-  
tis testibus præsens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi; idcirco hoc præsens publicum Instrumentum ex Prothocollo manu mea propria scriptum confeci, & in hanc publici Instrumenti formam redigi. In fidem & testimonium omnium, & singulorum præmissorum ad hoc debita cum instancia rogatus, vocatus pariter & requisitus.*

#### §. IV.

Revocat Præpositus Wengensis Professos suos Canonicos sub certis Conditionibus domum.

**R**ebus sic stantibus jam agere aliud haud potuit desolatus Præsul; exosculatus est dextram Excelsti, Wengamque suam ejus curæ, ac Providentia, quæ omnia sapientissime disponit, ac ad finem optimum dirigit. Conversus ad Apostolicos suos Conservatores, præsertim ad S. Crucis Præpositum Vitum, ex illius consiliis pependit totus, ac potissimum ex illius suasu vi Brevis Apostolici, solenniter Ulmae publicati, sub conditionibus Professos suos Religiosos Vienna revocavit, ac eodem adhuc anno, nempe 1515. die sexta Mensis Octobris, hanc Revocationem cum Brevi Pontificio legaliter insinuari fecit. Sequentia hoc demonstrant, quæ tergo Instrumenti Publicationis in Pergameno scripti sunt adnotata.

**In Nomine Domini Amen. Anno de Nativitate Ejusdem Millesimo quingentesimo quinto decimo, Indictione tertia, die vero Sabbathi, sexta Mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris æ Domini nostri, Domini Leonis, Divina Providentia Papæ decimi, anno ejus tertio, Ego Notarius infra scriptus, pro parte Reverendi Patris, Domini Michaelis Præpositi Monasterii in Insulis Oppidi Ulmensis Constantiensis Diæcesis Principalis in retroscripto Litteris**

ris principaliter nominati, juxta ipsarum Litterarum retroscriptarum tenorem requisitus, ipsis Litteris per me visis, &c, ut decuit, reverenter receptis, devotos Fratres, Dominos, Augustinum Mayer, & Martinum Miller, Presbyteros Professos, & Conventuales præfati Monasterij in Insulis, in Ulma, accessi, ipsisque retroscriptas Litteras, sive Processum hujusmodi retroscriptum, quibus melioribus modo, via, Jure, causa, forma, & ordine, quibus potui & debui, insinuavi, & publicavi, & in eorum notitiam, quantum melius potui, deduxi, elisque exhibui, ac alias & alia feci, prout in dictis retroscriptis Litteris continentur, aliaeque ejusmodi debite executus fui in signum veræ Executionis. Copias earundem Litterarum, sive Processus hujusmodi dictis Fratribus tradidi, & dimisi; & consequenter anno & die, quibus supra omnibus melioribus modo, via, forina, & ordine, quibus potui Reverendo Patri, Domino Stephano Kleker, Decretorum Doctori, Officiali Viennensi, vigore & tenore retroscriptarum Litterarum inhibui, ne se in hujusmodi negotio contra Dominum Præpositum supradictum impeditat, aut quovis modo intromittat, Copiamque Litterarum hujusmodi auscultatam præfato Domino Officiali tradidi & dimisi. Super quibus omnibus, & singulis per pæsens publicum Instrumentum, manu mea fideliter scriptum, pælibato Reverendo Patri, Domino Michaeli Præposito tradidi. Acta sunt hæc Viennæ in domibus habitationum Reverendi Patris Domini Stephani Kleker, & Officialis præfati ac dictorum Fratrum, Augustini Mayer, & Martini Miller hinc inde respective, sub anno, Indictione, die, mense, & Pontificatu, quibus supra, pæsentibus ibidem Venerabili & Nobili Viris D. Christophoro Ziegelhofer, artium Magistro, & Sebastiano Leininger, Laico, Litteratis, Pataviensis, & Bambergensis Diæcessis, testibus ad pæmissa vocatis, rogatis, & specialiter requisitis.

## (L.S.N.)

Et ego Erhardus Hueber, Clericus Pataviensis Diæcessis, Apostolica Authoritate publicus Notarius, quia dictæ insinuationi, Publicationi, Notificationi, Requisitioni inhibitioni, omnibusque aliis, & singulis, dum sic, ut pæmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis testibus pæsens interfui, quæque sic fieri vidi, & audivi, & per me ipsum feci. Ideo per pæsens publicum Instrumentum a tergo manu mea propria fideliter scripsi, confeci, subscripsi, publicavi, ac in hanc publicam formam redegii, sponoque & nomine meis solitis & consuetis signavi in fidem, & testimonium horum, & singulorum pæmissorum rogatus, & requisitus.

Hac insinuatione legali Brevis Pontificii facta, non invenio ambos absentes Canonicos aut Canonicali Portioni suæ, aut Juri revertendi ad gremium renuntiasse; semper enim annis quoque posterioribus se gessisse pro Collegii nostri membris, ex multis mihi constat: nec etiam hoc jure illos Michaelem privasse. Hoc unum mihi certum, dilectam Musarum sedem, Vienensem Universitatem illos minime deseruisse; connivebat etiam haud dubie in hoc, rerum articulo illis posterioribus annis Michael Superior: cum adverteret, Religionem Catholicam post annum 1517. Ulmae omnino langescere, ac omnia ruere in peius; cum Zwinglianis partibus plures ex civibus accederent,

## §. V.

Myllius laudabili optimorum morum constantia, ac Litteris florere pergit.

Charismata meliora æmulari semper interea studuit Martinus noster cum sodali suo, Augustino Mario, nec unquam a virtutis religiosæ tramite illum deflexisse innotuit. Inter Academicos Viennenses eminuit semper, ac conversationis optimo Exemplo, magnæque Eruditionis laudibus Mecænatibus suis commendavit. Viennæ illius opera usus est Reverendissimus Abbas, D. Benedictus Chelidonius, Ordinis S. Benedicti Monasterii Scotorum in promovendo ad publicam lucem *Libro Sententiarum Magistri Bandini*; de qua re ipsem Chelidonius in sua ad Sigismundum

K k k k k 2

dum

dum Abbatem Mellicensem Epistola habet sequentia: *Paternitas tua Reverenda Librum quendam aevi plenum, cui titulus erat ( Liber Sententiarum Magistri Bandini ) paucos ante dies iudicio Doctoris Eckii repertum protulit; quem, cum publicatu dignum una cuncti sententia judicassemus, abs te, Pater optime, quod domesticis tunc curis omnino sorores obnoxius, Ejus revidendi, &c., qua maxime indiget, castigandi provincia mihi tunc forte minus negotioso, demandata est. Quam ego, utpote Paternitati tuæ multa pro benevolentia multisque beneficiis plurimum debens, audacia magis, quam fatus peritia, assumto mecum in eam operam Martino Millio, Regulari Canonico, & nostri Monasterii tunc Plebanus ( Plebano ) viro in omnem rem Litterariam abunde expedito, promptus obii, & eo, quo Petrus Longobardus ( Lombardus ) modo, quantum licuit, distinxii, & a mendis, quibus plenior, quam Lombardus maculis erat, vindicavi, Authoritatum denique loca pleraque adnotavi &c.* Videatur P. Martinus Kropfius in Bibliotheca Mellicensi pag. 79. Nota est inter Litteratos de hoc Bandino, ac Petro Lombardo, qui Canonicus Regularis fuit, controversia, quisnam horum duorum alteri sua debeat? quam optimè diremit Clarissimus P. Pezius, Litterarii Cætus insigne decus, dissertat. Ifagogica in I. Tomum Thesauri Aneidot. ex codice Alcahæ superioris, in quo Bandini Opus: *Abbreviatio de Libro Sacramentorum Magistri Petri, Parisiensis Episcopi, fideliter Acta apertissime affirmatur, quod etiam laudatus Kropfius monet.*

Anno decimo septimo erga Christum passum, ejusque Virginem Matrem affectum suum prodidit opusculo, hactenus nondum viso; in quo omnia complexus est, variisque Odis de B. Virgine auxit: quas Hymnorum Latinorum metris artificio illigavit non contemendo, & voque suo plane novo; quem libellum publicis Typis donavit sub hoa titulo: *Passio Christi von Martino Myllio in Wengen zu Ulm geistlichen Chorherrn gebracht, und gemacht nach der gertimten Musica, als man die Hymnus gewont zu brauchen, und hiebey angezeigt vor iedem gedicht unter Was Melodey zu singen werd, in 4to. tribus duntaxat philyris constat.* In fine hæc leguntur: Gedrukt und vollend in Kosten des erbern Joannis Haselbergers, aus der Reichen Ow, Costanzer Bistums anno MDXVII. Praemonet Lector in secunda primæ pagina facie, Eeditionem hanc factam esse cum Gratia & Privilegio Cæsareo, ad decem annos duraturo. Habetur hujus Libelli fragmentum in Bibliotheca Wiblingensi, illumque satis diffuse recenset D. Joannes Georgius Schelhornius Superintendentens Memminganus in denen Ergöglichkeiten aus der Kirchen historie, und Litteratur, Parte I. pag. 55. sub hac Rubrica: Ein Gesangbuch vor der Reformation, num. VI. que in Martino Myllio Schelhornius carpit, ad Polemicos pertinent; mihi extra hanc arenam in præsente opere posito non placet refellere illius scrupulos; quod ab aliis jam abunde est factum.

### Die Christlich Werkündigung von Gabriele Erz-Engel, zu singen unter dem Thon:

Ut queant laxis.

**G**achdem, den Menschen Cherubin mit Schaden  
Ausjagt, von Fröd des Paradüs, beladen,  
Mit schwerer Sünd, daß er do sollt beklagen,  
und Sünd beweinen,  
Do wurd gemainlich gut, und böß verloren;  
Es kam dann Gott, von rainer magt geborn,  
Die er von Ewigkeit hat außerkoren,  
möcht uns verainen.  
Nun bſass die hochst Erehainigkeit, mit Namen  
Vatter, sein Weisheit, Lieb bind sy gesamen  
Ain Rott, und bſchoss, daß solt menschlichem Samen  
Gott selb erlösen.  
Bhend zu Mariam Gabriel ward gſendet,  
Der auch solch Beschuß Red Gottes, recht vollendet,  
Sprach: grüß dich, voll Gnad, Gott hat dich gesegnet,  
solt Ihn genesen.

Ma-

Maria sagt, gernlich in meinem Herzen,  
Bin ich so unverb, daß ich Gott ohn scherzen,  
Soll darzu, Jungfrau bleibend, ohn all Schmerzen,  
von mir gebeten.

Ich bin des Herren Dienerin, und Magt  
Mein Will in Gott ist, und mein Gemüt behaget  
In seiner Lieb, beschäch mir in kurzen Tagen,  
Nach deim Begehrn.

In disem punct, das Ewig Wort verainet  
Ward mit der Menschheit, drum daß er berainet  
Sunderliche Mackel, als er dann beschainet,  
Nach seinem sterben.

In hoc teutonico carmine videmus, quod Myllius accurate observaverit Saphici carminis metrum.

An ad hunc nostrum Martinum Myllium etiam pertineat, & ex illius calamo prodierit Libellus, qui apud M. Georgium Draudium in Bibliotheca Classica pag. 1457. memoratur sub hoc titulo: *M. Martini Mylli Hortulus Philosophicus in 8. apud Bartholomaeum Voigt*; aliis divinandum relinqu. Juvit supra ex recensito Mylli opusculo specimen Saphicum aliquod excerpere, ex quo benevoli Lectores de ceteris judicium ferre poterunt.

### §. VI.

In locum Myllii ad Canonicatum Regularem Wengensem suscipitur alius.

Anno 1519. Michael Wengensium Antistes, diuturnioris Religiosorum suorum absentiae pertensus, postquam non raris Litteris paternum suum affectum illis manifestasset, tandem statuit, loco utriusque sacram suam familiam novis augere tyronibus; communicato itaque illius cum Conservatoribus suis maturo Consilio, ad executionem Brevis Apostolici, a Leone X. impetrati processit, & duos alios in locum Martini Myllii, & Augustini Walseæ oriundum, & Valentimum Bainlinum veste Canonica cum Capitulo sui consensu anno precedente induit, atque hoc anno ad Professionem trium Votorum admisit. Quæ omnia veritati esse consentanea, subsequens Instrumentum publicum, in lingua vernacula conceptum, ab Hieronymo Winckelhofero subscriptum, & roboratum convincit.

### Copia.

In Gottes Nahmen Amen! Fund, offenbar, und wissend sy allen, und jeden, so dits gegenwärtig offen Instrument ansehen, lesen, oder hören werden, daß in den Jahren, als man zählt nach Christi, unsers lieben Herren Geburt tausend fünf hundert, und im nüngehenden, in der sibenden Römer Zünd Zahl, Indicio zu Latein genannt, by Regirung unsers Allerheiligsten in Gott Vatters, und Herren Herren Leonis Pabsts des zehenden sines Pabstums im sibenden, usd den zehenden Tag des Monats Junii, in der ninten stund Vormittag, in des heiligen Reichs Statt Ulm, Esslinger Bistums, und Maynzer Provinz, und daselbst dem würdig Gottshauß zu den Wengen St. Augustins Ordens, in dem Capitelhus in mie offen Notaris und der, hernach benannten globwürdigen Zügen, auch eins ganzen Convents in belittem Capitel versamelt gegenwärdigkeit, ist persönlich erschinen der Chrwürdig, und geistlich in Gott Vatter, und Herr, Herr Michael, des obgenannten Gozhuß zu den Wengen Probst, durch sin eigen Mund dits nachfolgend Minung redende, und erzählende: würdig, ehrsame, und lieb Herren, und Brüder! ihr habt gut wissen, wie zu vergangenen Jahren Herr Augustein Mayer, und Herr Martin Müller, beed von Ulm Priester derselben Zeit Convent Herrn dits Gozhuß gewesen, ohne min, als ihrs Prälat, und Obern Gunst und Willen, sich außer disen minen Gozhuß gethan, und gen Wien verfügt haben, daß auch ich, als ihr Prälat, und Ober Sy beed, und ihr jeden insonder zu mehrmalen Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera. L 1111 vñs

västerlich, und treulich requiriren, ermahnen, und erfordern lassen hab bey der heilige Gehorsami, und ihren gethanen Glüdten, auch den pñ der heiligen Regel St. Augustins, und des gemeinen Rechten, daß Sy sich in einer gerumten, und bestimmten Zeit widerum persönlich in obgemeldt Gozhus zu den Wengen verfügen, und darinnen dem Allmächtigen Gott dienen, und die Bürdin, und Schuld der Gehorsami tragen, und usrichten, wie Sy dan das us Kraft ihrer gegebenen Boten zu thun schuldi synn, daß alles Sy aber veracht, und nit gethan haben, sonder ohngehorsamlich ussblibe syen, dardurch der täglich Gottlich Dienst in obgemelten Gozhus merklich verhindert, und gemindert, auch der Stifter, und andere dits Gozhus Gutater di ihr heilig Almosen an dits Gozhus darumen geben haben, das der Göttlich Dienst gemehrt, die Seelen getröst, und der Nebenmensch gebessert werden, letzter will nicht gehalten, noch vollzogen, sonder schwächt worden ist, uss das hab ich mich dess alles unser min, und mins Gozhus erreischender Nothdurft bey Päbstlicher Hailigkeit durch ein Supplication erklagt, und ihr Päpstl. Hailigkeit um väterlich Hilf angeruft, und gebetten, welch Päpstl. Hailigkeit als Liebhaber der Gaistlichkeit mir, und einem jeden meiner Nachkommen Probst zu den Wengen, unter andere begnadunge gnädiglich vergunt, und zugeben hat, das an statt der Abwesenden Conventherrn, dy sich ohne Gunst, und Willen eins Probsts usser dem Gozhus gethan haben, oder hinsuro thun werden vor und ehemale Sy sich ihrer Pfänden verzügen, und begeben hätten, ander an ihr Statt zu erwählen, zu nemmen, und dem Gozhus zu incorporiren, und darauf minem Gozhus zu Conservator und handhaben dits gemelts Indults mein gnädig Herrn Bischoff zu Augspurg, auch ein Probst zu dem heiligen Creuz zu Augspurg verordnet, und gebeten, welcher ißt gemelter Probst zu dem heiligen Creuz, als Päpstlicher Conservator obgemelt Herr Augustein Mayr, und Herr Martin Müller auf min zugeben, und nachlassen usser Gnade, und Überflusß, und keiner Schuldigkeit väterlich ermahnet, und ihnen aber eingeräumt Zeit bestimbt, darinnen Sy sich widerum obgemelt Gozhus zu den Wengen verfügen, und thun auch darinnen dem Allmächtigen diene, und daß noch der Gehorsami tragen sollen, und möchten. Solch des Päpstl. Conservators väterlich ermahnen Sy aber gleich als wohl als das min veracht haben, und ohngehorsamlich uss bliben syn, damit dan der Göttlich Dienst in obgemelten minem Gozhus zu den Wengen gemehrt, die Seelen getröst, und der Nebenmensch gebessert, auch der abwesenden zweyer Herren Statt durch andere geistlich Personen erstatt werde, so hab ich in Kraft des obgemelten Päpstlichen Indults Michl Thoman von Waldsee, und Valentin Bainlin von Laiingen, Costanzer, und Augspurger Bistume, mit wissen, willen, und zu thun eines ganzen Convents allbie gegenwärtig, an statt obgemelter zweyer Conventherren in das Gozhus an- und ussgekommen, und ihnen des heiligen Ordens Kleyder angelegt, Sy probirt, und nach genugsamer probation zu der profess angenommen, alles nach luth, Innhalt, und Vermög des Päpstlichen indults, dahin ich mich refferir, und zich, und damit solches, wi oblüh; dester kräftiger, und beständiger sy, und blich, so requirir, und erforderre ich Michael Probst an euch, Offen Notari, mir, und minem Gozhus über solch min Handlung ein, oder mehr Offen Instrument, und globwürdig urkunde, wie sich gepürt, zu machen, und zu geben. Des ich nachbenanter offner Notari mich uss Pflichten mines Amts zu thun bewilligt hab. Geschehen sind dise Ding in den Jahren Päpstlicher Regierung, auch Monath, Tag, Stund, und an den Enden, wie obstatt, in Gegenwärtigkeit der Ehrsam, und Ehrbaren Herren Michael Rotten, Pfarrer zu Ballendorff, Jergen Prölen, und Johannes Kammen von Untertürckheim, Augspurger und Costanzer Bistumen, als Gezügen hierzu erforderet, und, wie sich gepürt, erpetten.

Und wann ich Hieronymus Winckelhofer von Ehingen, Cleric Costanzer Bisstums, und Münzer provinz ausser Päpstlich und Kayss. Oberkeit ein offener, und von neuen approbirter Notari by solchen fürhalten, Neden anzeigen, und protestiren, auch allen und jeden obgeschriben Sachen mit samt den obbestimmbten Gezügen persönlich gegenwärtig gewesen bin, das alles also geschehe, gesehen und gehört, hierumon hab ich das Instrument durm einen andern obligenden meiner Geschäft halben treulich geschrieben, darüber gemacht, und mit aigenem gewohnlichem Nahmen, Zunahmen, und Signet unterschrieben, und consignirt, darzu sonderlich, wie sich gepürt, durch obgemelten meinen gnädigen Herrn Probst sonder zu mehren globwürdiger Gezeugnuß obgemelten Sachen requirirt, und erbettet.

(L.S.N.)

An-

Annum mortis Michaelis Thomani in Necrologio nostro non invenio; Valentum tamen Bainlinum Herbrechingano Canonicorum Regularium Cenobio postmodum fuisse incorporatum, ex eodem Catalogo, in Capitulo adhuc extante disco anno 1522. quo anno jam decesserat Meritissimus Præfus, qui ad Professionem Canonicam in Insulis nostris illum admisit.

Quæstio merito hic moveri posset, quis Myllio, dum Viennæ tamdiu hæserat, contra voluntatem sui Superioris, debita subministraverit alimenta? ad hoc quæsumum respondeo, non immerito affirmari posse, Mecænatem illum insignem represisse in Reverendissimo Viennæ Scotorum Abbatem, qui supra *f. V.* in Litteris suis ad Abbatem Mellicensem testatur, Martinum hunc nostrum suo tempore Plebanum egisse Monasterii sui; cumque Operarius dignus sit mercede sua, haud dubie ex liberalitate hujus Monasterii necessaria vitæ alimenta, victus, ac vestitus illi obvenire, usque dum suam promotionem alibi, ut mox audiemus, obtinuit.

### §. VII.

Millius sit Præpositus, in Strettenthal, ac brevis est Regininis.

Assumpto in locum Professionis suæ alio, misericordia Numinis non defuit. Hanc etsi modicam notitiam nobis non invidit parca antiquorum nostrorum manus; testatur enim vetus nostrum Chartularium Promotionem illius hisce verbis: *Martinus (Myllius) in Præpositum in Monasterio Schrettenthal, sive Shettental, electus, sed duos sub regimine suo annos haud complevit, quin morte præventus diutius anno Luci suum extremum clausit diem anno Catholicæ veritatis 1511.* Verum extrethus hujus anni calculus evidanter fallit, & ad oculum patet illum corruptum, & ab aliquo imperito rasuram expertum esse; cum certum, & evidens sit, Martinum anno decimo septimo hujus Sæculi, imo (ut ex allato proxime instrumento manifeste colligitur) decimo nono adhuc vixisse; quo necdum in Præpositum Schrettenthalensem fuerat promotus. Quantum ex dubiis rasuræ vestigiis colligo, mox illius in annum 1521. incidit. Præposituræ Strettalensis, sive Schrettentalensis nothen apud Authores, quos consului plures, detegere haud potui, nisi apud Sebastianum Ligodentinum, sive Hackenzahn, qui in MS. Auctario ad Pennotum MS. habet sequentia: *Schrettenthal.* Hujus Monasterii Præpositus est D. Martinus Millius, Presbyter, & Canonicus Regularis S. Michaelis in Wengen Ulmæ, ibidemque mortuus est anno 1511. ex relatione ad me transmissa. Ex contextu horum verborum clare desumitur, relationem nullam aliam habuisse, quam ex Wengensi nostro Collegio; verisam proin adhuc in iisdem tenebris. Suspicio, hanc Præposituram olim sitam fuisse in Austria inferiore; sed modo extinctam, atque etiam cum illa omnem memoriam Præpositorum: cum nec illius meminerit eruditissimus in historia Collegeriorum nostri Ordinis Zunggo noster.

Hæc itaque sunt, quæ de Augustino Mario, & Martino Myllio commemoranda nobis reliquit Sæculi decimi sexti avaritia; Si politicum exulceratorum illorum temporum statum considerare velimus, si Collegii nostri criticae circumstantiae obversentur animo, si diuturnum Ambrosii Kauthii perpendatur exilium, si aliquorum tunc temporis Collegium nostrum inhabitantium spectetur in moribus, ac infidei tepiditas, ac studiorum neglectus, mirum nullatenus mihi, posterisque nostris accidere debet, majorem, ac meliorem de tantis viris non superesse notitiam. An vero hoc Antecessorum nostrorum silentium in causas, hactenus relatas refunderemus? si nobis pateret divinorum consiliorum abyssus, fors alia mentem nostram subiret cogitatio. Fuere Augustinus Marius viri posteriorum memoria digni, viri docti, & eruditione præstantes, religiosis moribus, ac virtutibus Christianis ornati; ad dignitates Ecclesiasticas evecti fuere temporibus illis exulceratis, ob zelum fidei Principibus, ac viris maximis aestimati, ac in amoribus; nihilominus brevioris vitæ aut nullos, aut paucos admodum brevissimosque habuere post mortem laudum suarum præcones; cur ita factum sit, solus ille novit, qui corda scrutatur, & renes Deus; ante cujus conspectum ambo nunc stant, & meritorum suorum præmium in beato æternitate capientes, omnia hæc terrena despiciunt, & cum virtutum suarum, zeli præprimis apostolici atque dilectionis augustinianæ, tum scientiarum Ecclesiasticarum nos esse volunt imitatores, malorum vero actuum suorum, quibus adversus pietatem, quam sacræ Matris suæ, Canoniae nostræ, & adversus religiosam, quam Præposito suo debebant, ex infirmitate humana deliquerunt, Dehortatores erunt perpetui.